PARATACTICA LATINA

III

SCR. F. GUSTAFSSON

PROGRAMMA ACADEMICUM



HELSINGFORSIAE 1911

PARATACTICA LATINA

III

SCR. F. GUSTAFSSON

PROGRAMMA ACADEMICUM



HELSINGFORSIAE 1911

HELSINGFORSIAE 1911
SOCIETAS TYPOGRAPHORUM FRENCKELLIANA

475.2
G978p.
Vahlen

12 No '18 A. M. L.

INDEX



2

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/paratacticalatin00gust

Paratactica latina III

In hypotaxi latina evolvenda cum id primum egissem, ut varios *ut* particulae usus relativos ex interrogativa et exclamativa significatione ortos explicarem [1]), ad cetera relativa transiturus, condicionalem ante hypotaxin ita enucleavi, ut ex vera *si* particulae origine exirem demonstrativa et in multis dicendi generibus *sic* primitus cogitatum ostenderem [2]). De *dum* coniunctionis demonstrativa vi primigenia vix nunc dubitatur [3]), quamquam qui eius fuerit in singulis rebus progressus non satis multis exemplis allatis patefactum est. Restant vero plurima hypotaxeos latinae genera, quae pronominibus vel particulis inducuntur, quarum originem ex radicibus *qui-* et

---

[1]) Cfr Nordisk tidskrift for Filologi, 1892 p. 71 s. ex quo haec dicendi genera (ut? ut! ut?!) brevissime adnoto: 1) ut vales? ut videtur mulier? ut iubes, ita faciam. 1 vel 2 a) ut (utinam) fiat; ut te di perdant! aetatem velim servire, Libanum ut conveniam; tace ut partes defendas tuas; ut veniat usus est; spero tale tempus ut gratiam referam; metuo ut possim; 2 b) ut magnifice infert se! ut me exornavit ita sum; ut valide fluctuat mare, nulla nobis spes est; ut ut es facturus! factum est, ut hirneam ebiberim. 3) te ut deludam?! non potest fieri duobus locis ut simul sit; non potes cogere, ut tibi maledicam; quid admisi, ut loqui non audeam; hocine est credibile ut . . .; tantum abest, ut . . . (?!), ut . . . (!). De indefinito eodemque tamen adfirmativo *ut* mirum quam saepe cogitat W. Kroll Glotta III p. 16 s.

[2]) Paratactica latina, I 1909, II 1910, ex quibus paucissima indico: I quiesce, *si* sapis; si me amas; si me di ament; si quidem voltis; si des, porrexi manum; si detur, possum; si taceas modo; si scias; si liceat; percontabor si inveniam; si quidem detur, numquam . . .; si sint vera, quid mirum . . .; quid si . . . II non ita est, confido *(nisi* confido); ne sic (nisi) fueris, non dixero; parata est, nisi vis; perii, nisi abigo; nisi abis (abisne?); perii *ni* (non:) enicasso; parumne . . . ni etiam . . .; *mirum si,* nisi, ni . . .; *quasi* (wie so?!); *sin; si non;* opposita duo *si* vim pariunt condicionalem.

[3]) Cfr J. H. Schmalz in Grammatica sua latina et iam 1900 in Archivo Woelffliniano XI, p. 333, R. Methner in Glotta I p. 245 et W. M. Lindsay, Syntax of Plautus Oxford 1907 p. 127; *dum quidem* cum *si quidem* comparati exempla pauca attuli, Paratactica latina II p. 31.

quo- repetendam esse apparet. Quae omnia relativa et appellantur et esse dicuntur corroborato iam diu recentiore cogitandi more et adiuvante assidua scholarum illa ipsa ratione, de alia ut pauci tantum ausi sint singulis auctorum latinorum locis mentionen facere et parataxeos primigeniae vestigia proferre, quae tamen quin etiam nunc exstent dubitandum non videtur.

Linguas, quae uno nomine commode ariacae nuncupantur, qui comparant viri praestantissimi, K. Brugmann B. Delbrueck [1]) alii, iam in communi illo sermone relativa enuntiata fuisse docent, ex demonstrativa stirpe *-io* nata, restitisse in sanscrita *(yás)* et in graeca (ὅς) et in antiqua germanorum lingua, apud italos autem, sicut apud slavos, cum evanuissent, ex indefinito pronomine in italis denuo esse exorta, non ex interrogativa nisi pauca quaedam. Relativa in communi illo sermone qui haud sine causa negant [2]), ab italis certe gentibus non concedunt relativa miro casu sublata denuo ex inferis suscitari potuisse ex indefinitis praesertim, quippe quae omnino apud latinos minime valeant et additis demum adminiculis, sicut in *quispiam quidam aliquis ecquis numquis quisquam*, longiorem vitam et firmiores vires debeant; immo interrogativa *quis* et *qui* multo maiore vi pronuntiata et suum ipsorum sustinuisse munus et relativam significationem ut apud antiquos, sic apud posteros eorum, qui romanici uno nomine appellantur. Atque hoc ipse Brugmann contra dicente nemine demonstravit accentu praeditum pronomen illud interrogativum, carens accentu indefinitum fuisse; relativa vero illa vetera ex *io-* nata forti accentu esse dicta constat [3]), itidem esse plerumque latina relativa etiam cum non primo sententiae loco sint posita, nedum vetustiora quaeramus, haud negabit qui sensum, non verba tantum ex. gr. Plauti intellexerit. Itaque vel hac ratiocinatione ad interrogativam potissimum relativi originem ducimur et tamquam inviti trahimur. Potissimum dixi, vix enim ex uno atque eodem fonte, quem quasi magico quodam baculo ex saxis elicias, omnes relativi pronominis usus derives tam diversos tamque varios quam verno tempore flores variantur, humanae vitae similes. Ac si iam antiquissimis temporibus attenuata vi pronomen interrogativum interdum sine dubio abiit in indefinitum, quamquam hoc — quantum

---

[1]) In notissimis linguarum comparatarum institutionibus (Grundriss), Brugmann etiam in Indogermanische Forschungen 1894, IV p. 229.

[2]) Cfr maxime E. Hermann Kuhns Zeitschr. XXIII p. 490.

[3]) Cfr inter alios Delbrueck in syntaxi comparativa III p. 86.

scimus, nam de primo et interiectionali quodam vocum initio hic non loquimur — principem locum tenebit, ne ex indefinita quidem significatione est cur quaedam relativa explicanda esse iure negemus [1]).

Quod si ita est, vetustiora scripta qui nunc legit, saepenumero ex suo quisque arbitrio diiudicabit, utrum interrogativa an indefinita vi quod iam relativum est primitus positum esse videatur. Ita mihi quidem in lege, si vetustos mores respicis, non id dici videtur ex. gr. aliquem peccare eumque punitum iri, sed id potius quaeri potest et ita interrogando vel inquirendo maiore intendi vi, q u i s peccaverit, quis contra legem facere ausus sit [2]). Neque in foedere faciendo dici necesse est aliquot bello amissos esse deque ea re ius dictum iri, sed quo magis rem animadvertant qui legunt, interrogatione potius ficta quaeritur q u o s amiserint; item quaeritur q u i p a r i e s sit prope viam, ut in eo lumen aperiatur; vel interrogatur q u a n t a pecunia via locata sit, tanta ut in tabulas referatur. Eodem modo qui de agri cultura praecepta dat, quo magis ea animo legentis inculcet, vivide potest quaerere potius q u i in fundo eius locus vino optimus sit, ibi ut optimum genus inserat. Neque vero ego eius modi dicendi genus suum quoque loco legibus vel auctoribus, quales quidem nunc sunt, tribuendum censeo, sed in eorum dictis vestigia antiqui illius generis posse reperiri puto. Sic in Enniano loco (Trag. 259) etiam languere videtur ac ne sensu quidem confirmari indefinita ratio, interrogativa vero vel exclamativa, quam saepius grammatici recentiores omittunt, potius primigeniam pronominis vim ostendere, modo ordinem enuntiatorum invertas:

ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat.

idem valet Plautinis locis:

Asin. 324. fortiter malum qui potitur, idem post potitur bonum.
Capt. 941. quod (fuitne primitus: quid!) bene fecisti, referetur gratia, id quod postulas.

---

1) Ita in his exemplis, quae partim ex nostro more loquendi ficta sunt, omnibus relativum facile exstitit: qui (?) vir fores pultat? hunc intromittas; vir qui (aliquis) fores pultat, eum intro mittas; hic quid tu vis? impera (quod vis aut: si quid tu vis, impera). Quamquam, quod modo dixi, vix requiri videbantur in simplici sermone indefinita: ager qui templo est proximus, eum ... dici potuit: ager templo est proximus, eum ... Rarissimum igitur est *quis* certe indefinitum, usitatissimum fuit semper et ut ita dicam quotidianissimum interrogativum *quis*.

2) Neque omnino in vetustis legibus desunt apertae interrogationes, cfr C. Borchling Poesie und Humor im friesischen Recht, Aurich 1908, p. 42 s.

Asin. 237. quin si tu uoles, domi serui qui (i. e. qui?) sunt, castrabo uiros [1]).

et se ipsum interrogare videtur qui haec dicit et, primariam vocum vim si respexeris, tale quid voluisse: is igitur, quale . . !

Ter Adelph. 449. is quod mihi de hac re dederit consilium exsequar.

Item post *si*, quod primitus fuisse puto *sic* (hic, iam), interrogativam malim et paratacticam quam indefinitam et hypotacticam pronominis originem, si non his locis significationem. Inter certantes et rixantes, immo pugnis rem gerentes non hoc agitur, num quis exsistat, sed vi quadam quaeritur, quis audeat [2]):

Cas. 75. id ni fit, mecum pignus, si quis uolt dato.
Pseud. 155. doletne? em sic datur, si quis erum seruos spernit.

Sed haec nimis multa in praefatione singula.

Qui nunc maxime consulitur in grammaticae latinae rebus, J. H. Schmalz [3]), is certe ex vera in duorum sermone interrogatione plurima ni fallor repetit relativa, quae mihi potius ex solius loquentis interrogatione et ea plerumque quidem exclamantis vel indignantis videntur orta. Et interrogationibus interrumpi posse sermonem unius saltem loquentis multa testantur, sicut hi loci Plautini, quorum in secundo *qui,* nisi interrogativum adverbium est indignantis (qui?!) et orationis filum abscidere dicitur, explicari vix poterit:

Aul. 713. Perii, interii, occidi: quo curram? quo non curram? tene, tene! quem? quis?
Epid. 329. STR. quid illum ferre uis, qui, tibi quoi diuitiae domi maxumae sunt,
is nummum nullum habes nec sodali tuo in te copiast?

fere PE *nummum his* PE.

---

[1]) De tota re W. Kroll, Glotta III p. 8 s. acutissime ille quidem, licet saepius quam malim indefinitam originem praeferat; talia infra non ubique adnoto ex libello eius, quem praesertim nemo prudens praeterierit.

[2]) Cfr Paratactica latina I p. 75 s. Neque tamen in primitiva lingua facile effingi negaverim relativas sententias, id quod de graecis participiis convertendis plurimis exemplis in nativo sermone optime compositis docet S. Slonski, Die Uebertragung der griechischen Nebensatzkonstruktionen in den altbulgarischen Sprachdenkmälern, Kirchhain N. L. 1908, praecipue p. 27 s.

[3]) Latein. Syntax 4 ed. p. 529 s. De indefinita origine cogitant Steinthal, Schömann, Meiring, Kvičala, Delbrück, von Planta, de interrogativa, quos quidem cognovi, Bopp, Windisch, Curtius, Grimm, W. Deecke, Draeger, Bach, Wegener, Netušil, Schuchardt, K. Bertelsmann, Ueber die verschiedenen Formen der Correlation etc. dissert. Ienens. 1885, qui tamen ipsi interrogationi, nedum exclamationi parum consulit.

Omnino non recusandum est quin ex solo pronomine per se posito relativae rationis origo interdum repetatur.

Et ad primigenium interrogativum, cui continuo respondetur, pertinent ni fallor exempla demonstrativi pronominis ad *qui* vocem eodem tenore additi, qualia sunt apud Plautum:

Cist. 691. quae (fuitne primitus: quae?) neque illa illi quicquam usui et mihi esse potest.
Trin. 1023. quorum (primitus: quorum?) eorum unus surripuit currenti cursori solum.[1])

Apud veteres Italos[2]) eadem fere est pronominum et coniunctionum interrogativi indefiniti relativi generis ratio atque ea quae est in antiquissimis inscriptionibus latinis, in legum tabularum duodecim fragmentis et apud vetustos scriptores, nisi quod apud hos demum plures et magis varii et interrogativi et relativi usus exstant et vera relativae rationis natura et propago videtur enucleanda. *Quis* igitur et *qui* et quae pro iis in singulis linguis et dialectis italicis ponuntur promiscua sunt: interrogativa in aridis illis legum et statutorum fragmentis rara sunt, item indefinita praeter unum *si quis,* quod quidem contrarium prorsus fit in quotidiana vita, cuius sermo interrogationibus et exclamationibus scatet; relativa iam in compluribus orationis locis ponuntur et, qualia in legibus ceterisque eius generis litteris sunt in usu, non magna mentis, nedum animi vi efferuntur et indefinita ratione facile explicantur; immo peregre interdum requisita videntur, tam parum in implicatis praesertim enuntiatis ingenua et latina videntur, obscurant et discingunt sententiam potius quam illustrant et conectunt[3]).

Duodecim tabularum fragmenta, cum et res et verba contineant ex latina indole multo plus profecta quam cetera eius modi, hic posui, quae quidem relativa pronomina et particulas habent.

---

[1]) Cfr W. M. Lindsay—Nohl, Die lateinische Sprache, p. 509 s.

[2]) De *porsi porse porsei* et *puře* et *pirse piři pere,* universali quadam coniunctione relativa, quales in aliis linguis sunt, nescio an luculentissime exponat C. D. Buck A grammar of oscan and umbrian, Boston 1904, 199 f. Talis fere coepit fieri latinum *qui,* interrogativae certe originis, quod saepe cum nominativo *qui* confusum fere videtur; cfr Delbrueckii syntaxis III p. 403. Simile fuit *quin,* quod videtur pro *qui quae quod* positum addito *ne* illo, quod ibi haud scio an inter negativam et adfirmativam vim vacillet. Similia latinis non sunt *arnipo* et *ne pon;* de hac K. Brugmann in Indogerm. Forsch. 1909 XXIV p. 79 s.

[3]) De remissa in legum sermone relativae conexionis diligentia cfr J. Altenburg in Fleckeis. Jahrb. 1898 Suppl. XXIV p. 493.

Tab. XII.	I p.	3.	si morbus aeuitasue uitium escit, qui in ius vocabit, iumentum dato
„	„	4.	assiduo uindex assiduus esto; proletario iam civi quis uolet uindex esto [1])
„	„	6.	rem ubi pacunt orato
„	„	7.	ni pacunt . . . causam coniciunto, cum perorant ambo praesentes
„	II „	2.	morbus sonticus — aut status dies cum hoste — quid horum fuit uitium iudici . . . eo dies diffensus esto
„	„	3.	cui testimonium defuerit, is . . . ito
„	III „	3.	ni iudicatum fuerit aut quis . . . uindicit, secum ducito
„	„	4.	ni suo uiuit, qui eum uinctum habebit . . . dato
„	V „	3.	ubi legassit . . . ita ius esto
„	„	4.	si intestato moritur cui suus heres nec escit, adgnatus proximus familiam habeto
„	VI „	1.	cum nexum faciet . . . uti lingua nuncupassit, ita ius esto
„	„	9.	quandoque sarpta donec empta erunt
„	VIII „	16.	si adorat furto quod nec manifestum escit
„	„	22.	qui se sierit testarier libripensue fuerit, ni testimonium fatiatur, inprobus intestabilisque esto
„	X „	5.	homini mortuo ne ossa legito quo post funus faciat
„	„	7.	qui coronam parit ipse pecuniaue eius uirtutisue ergo arduitor ei
„	„	9.	neue aurum addito, cui auro dentes iuncti escunt, ast im cum illo sepeliet uretue se fraude esto.

Indefinitam rationem hic paucissima admittunt mea quidem sententia, respuunt nonnulla, sicut in I 3, 6, II 2, III 4, V 3, VI 1, VIII 22, X 5 et fortasse X 9, nisi temere *qui* dicas esse *si quis*.

Ex Plauto potissimum sumenda sunt sicut vitae romanae, ita linguae latinae elementa, non infimae plebeculae, at, teste Cicerone (Orator 20) quotidiani sermonis, in quo ut vigent sensus, sic verba et enuntiata ingenue et latine parta nascuntur et suam quodque originem vere et sincere prae se ferunt [2]).

E Terentio pauca, ex Petronio paucissima addam Plautinis.

Priusquam ad singulos locos eamus, hoc praemonendum est: *quis* et *qui* Plauti temporibus minime discerni solita esse vel ex uno elucet loco Mercatoris v. 652:

---

[1]) Ita scriptum esse dicit A. Gellius, si tamen recte commeminisset, Noct. Att. XVI 10,5.

[2]) Cfr inter alios F. Skutsch in notissima serie Kultur der Gegenwert I 8 p. 427 et F. Marx in Neue Jahrb. 1909 p. 435 s.; O. Ribbeck, Geschichte der röm. Dichtkunst I; H. Bléry Rusticité et urbanité romaines, Paris (sine anno! 1909?).

quis modus tibi exsilio tandem eueniet, qui finis fugae?

Et *qui* substantivum ante consonantes ponitur a Plauto decies septies in directa interrogatione, in ea quae indirecta habetur semper *qui sim, qui siem* cetera eius modi [1]). Neque aliter se habebat *aliquid* adiective positum [2]).

Quis antiquitus et femininum fuit et in *quesdam quescumque quisquis* ceterisque vocabulis eiusdem stirpis praevaluit [3]). Idem in *quisquis aliquis ecquis quisquam qui(s)dam* apparet, quorum originem ex interrogativa vi repetendam esse infra suspicabor. *Quod* substantive positum iam pridem videtur interrogativam vim abiecisse, ita tamen, ni fallor, ut primigeniam vim nondum prorsus exuisse videatur.

In collocatione relativi pronominis qui interrogativam originem defendunt non ideo semper ei primum vindicant locum. Neque vero si *qui ager ... is* vel *is ager* et similia, qualis legum est sermo plenior quam necesse est, non omnium saepissime apud Plautum inveniuntur, qui alio loquendi more utitur, eam ob rem de sua sententia desperant. Gravius est quod qui hoc docuit K. Bertelsmann [4]) numeris locorum ostendit a Plauto et Terentio multo saepius (21,3 $^0/_0$ et 24,6 $^0/_0$) anteponi relativa enuntiata quam in Ciceronis epistulis (9,5 $^0/_0$), enuntiatis vero primariis implicata esse relativa saepius ab hoc quam ab illis, demonstrativa *hic ille iste* a vetustis illis saepius (61,9 $^0/_0$ et 56,7 $^0/_0$) addi quam a Cicerone (29,4 $^0/_0$), qui determinativa *is idem ipse* praefert. Relativa vero quod priore aetate anteponebantur, posteriore postponebantur, inde, ni fallor, efficitur in quoti-

---

[1]) Cfr O. Seyffert Berl. phil. W. XIII 1893 p. 277 s., ubi tertiam Neuei editionem corrigit, Schmalz Latein. Syntax 4 ed. p. 517, H. Keil Comment. in Catonis de agr. cult. libr. Lips. 1894 p. 154. — F. Gaffiot in Revue de philol. etc. anc. XXXIV 1910 p. 57 s. *quid* saepius relativum vocat, ubi est re vera interrogativa parataxis ex. gr. *audin quid ait* — nimirum, ut nihil intersit inter Plauti et posteriorum sermonem. De Senecae Apocol. 9,5 ita ut ... *quis* optimo iure (deus) factus sit et Petron. 50 ignoscetis mihi *quid* dixero cfr E. Löfstedt Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität Uppsala 1907 p. 56 s. et Spätlateinische Studien, Uppsala 1898 p. 82 not.

[2]) Cfr F. Leo Plautinische Forschungen Berlin 1895 p. 286, Men. 847, Truc. 425, Vidul. 67.

[3]) Cfr F. Stolz in Historische Grammatik der lateinischen Sprache I Leipzig 1894 passim, F. Skutsch in Jahrh. f. kl. Philol. Suppl. XXVII p. 861 et in Glotta I p. 305, F. Stolz und J. H. Schmalz Lateinische Grammatik 4 ed. München 1910 p. 221 et passim, et W. M. Lindsay—H. Nohl Die lateinische Sprache Leipzig 1897 passim, item aeque notos libros de Planta, Sommer, Walde, K. Brugmann (graecam quoque grammaticam) B. Delbrück inter alia III p. 49, 400 ss.

[4]) in libro quem modo commemoravi pag. 55 s.

diano et nativo sermone interrogativae rationi maiorem locum dandum esse, item quod implicatis relativis et determinativis tenui vi elatis saepius Cicero utitur quam Plautus.

Iam cum tandem ad singula relativae originis genera describenda venimus, primum teneant locum ea exempla quae ad negativam sententiam adnectuntur. Ubi quaerit quibusdam etiam nunc locis qui loquitur quid ipse aut alius agat, cum non sit quid agat vel cur ita faciat [1]). Primis igitur in exemplis quae sequentur, praecedit interrogativa (? aut! aut?!) vel relativa sententia, et additur nonnumquam *nam*, interrogativis aptum.

Id omnino egi ut genera quaedam dicendi qualia essent indicarem, non ut quam frequenter essent in usu omnibus quot quot sunt exemplis absolverem. Nam qui cotidianum sermonem, vel suae ipsius aetatis, cogitabit, quid rarum Plauti temporibus, quid usitatum fuerit, facilius reperiet quam qui numeris exemplorum semper plus minus fortuitorum nitatur.

Trin. 561. nam qui uiuamus(?) nihil est, si illam amiserit.
qui uamus A.

Asin. 146. nam isti quid succenseam ipsi(!) nil est, nil quicquam meret:
quod Acidalius Goetz et Schoell, *quid* retinuerunt Leo, Lindsay.

Bacch. 633. quid mihi id prodest?
quid faciam? nil habeo, miser.
634 *quid* cod. *quod* inter alios Lindsay.

Exclamantis hoc quoque est vel fuit olim huius modi dictum, quamquam *quod,* non *quid* ponitur:

Asin. 630. LI. Quapropter, quaeso.
quia ego hanc amo et haec me amat:
huic quod dem(!) nusquam quicquamst;
hinc med amantem ex aedibus deiecit huius mater.
atque pro *et* Kaempf. *numquam* cod. fortasse recte.

Neque minore vi haec exempla sunt praedita, alterum tamen relativa quadam implicatione:

[1]) De his luculenter J. H. Schmalz Latein. Syntax 4 ed. p. 530. Quibusdam in exemplis exscribendis mea addo, non quo novam proferam interpretationem, sed ut relativae sententiae originem ostendam, vestigia nempe sive interrogantis (?), sive exclamantis (!), sive indignantis (?!); cfr quae pag. 1 not. 1 de *ut* diximus. Ubi de abrupto sermone primigenio cogitari potest hoc signum — addam.

Cist. 369. SE. sed (opsecro) te, nullusnest tibi amator alius quisquam? GY. nisi ⟨tu⟩os modo unus filius, quem quidem ego amem(?!) alius nemost.

369 ex Studemundi sententia supplevi. 370 *meus modo* seni tribuit Leo.

Pers. 440. non hercle quoi nunc hoc dem spectandum scio.

Sequuntur pronomina post alterum enuntiatum posita; in secundo exemplo animadvertas velim paenultimum locum, servata tamen aliquantum primigenia vi, dari pronomini *quoi:*

Amph. 985. nec quisquam tam audax fuat homo qui (quis?!) obuiam opsistat mihi.

auidax Skutsch, Lindsay. *quispiam* Usener.

Capt. 700. benest: nec quisquamst mi aeque melius quoi uelim.

initium versus turbant codices, G. et S. secutus sum; de *quoi* nihil dubitationis neque de summa sententia.

Rud. 406. neque digniorem censeo uidisse anum me quemquam,
quoi(!) deos atque homines censeam bene facere magis decere.

Bacch. 543. nullus est qu⟨o⟩i non inuidea⟨n⟩t rem secundam optingere.

quoi Scaliger.

Merc. 614. EV. quaeso hercle, animum ne desponde. CHA. nullust quem despondeam(!)

Amph. 509. IV. satin habes, si feminarum nullast quam aeque diligam?

Capt. 605. AR. neque pol me insanum, Hegio, esse creduis
neque fuisse umquam neque esse morbum quem istic autumat.

Trin. 188. occlusti linguam: nil est quod respondeam.

quod A, *qui* ceteri, Lindsay, vix recte.

Asin 877. ART. nil ecastor est quod facere mauelim. PA. manedum. ART. quid est?

Bacch. 875. CL. nihil est quod malim. CH. atque ut tibi mala multa ingeram?

Aul. 238. ME. atque eam desponde mi. EVC. at nil est dotis quod dem. MEG. ne duas.

Men. 665. PE. id quidem edepol numquam erit: nam nil est quod perdam domi.

Capt. 741. post mortem in morte nihil est, quod metuam mali.

Capt. 842. ERG. gaude audacter. HE. gaudeo, etsi nihil scio quod gaudeam.

Cum hoc loco is qui paulo antecedit conferendus est:

Capt. 839. ERG. gaude. HE. quid ego gaudeam? ERG. quia ego impero: age gaude modo.

Ab his omnibus haud multum distant quae sequuntur duo *(vix... quod? raro :.. quod!)*

Pers. 40. SAG. quin si egomet totus ueneam, uix recipi potis est
quod tu me rogas: nam tu aquam a pumice nunc postulas
qui ipsus sitiat[e]. TO. sicine hoc te mihi facere? SA. quid faciam? TO. rogas?

40 *ueniam* cod. 41 *manem* B 42 *sitiare* cod. *sicin te mi hoc* Mueller. *rogan* B.

Cist. 19. SE. quid ita, amabo? raro nimium dabat quod biberem, id merum infuscabat.

dabat bibere tamen fortasse recte Lindsay.

Sequuntur indirectae quae vocantur interrogationes, relativis enuntiatis similes:

Mil. 329. nam nil est qua hi<n>c huc transire ea possit nisi recto ostio.
Mil. 740. PL. nil me paenitet iam quanto sumptui fuerim tibi.

quantum A *sumptum* codd. *sumptu* B^{2} corr. Camerarius; de nostra re nihil dubitandum.

Stich. 52. nequest cur [non] studeam has nuptias mutarier.

non sustulit Guietus.

Nonnumquam in colloquio qui aperte alterum interrogat, pro responso, ni fallor, novam ab altero fert interrogationem, ut his quos adferam locis, ubi tamen apud Plautum iam relativa intellegitur ratio, indefinitae vix ullus est locus. Et interdum indignanti vel exclamanti convenit nova illa interrogatio:

Truc. 360. PH. ubi cenabis? DI. ubi tu iusseris(?).

cenas A, *luseris* P.

Curc. 613. CV . . . quam tu virginem
me reposcis. TH. quam (?! —) ab lenone abduxti hodie, scelus uiri. CV.
nullam abduxi.

hoce die Ritschl, *tu hodie* Fleckeisen, *hoc hodie* Havet.

Curc. 1. PA. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?
PH. quo Venus Cupidoque imperat, suadet Amor(!):
Bacch. 1106. Philoxene salue. PH. et tu. unde agis? NI. unde homo miser atque infortunatus(!)
Epid. 346. STR. quantum hic inest? EP. quantum (! —) sat est et plus satis superfit.
decem minis plus attuli quam tu danistae debes.

supersit cod.

Ter. Phorm. 509. AN. numquid hic confecit? PH. hicine? quod homo inhumanissimus(?!):

Pamphilam meam uendidit. AN. quid? uendidit? GE. ain? uendidit?

Abundat hic locus exclamantium sine dubio interrogationibus:

Epid. 614. STR. quid agis, mea commoditas? EP. quod miser. STR. quid est tibi?

agitis A.

Amph. 794. AM. quis igitur tibi dedit? AL. qui (! —) me rogat.

Amph. 381. ME. etiam muttis? SO. iam tacebo. ME. quis tibi erust? SO. quem tu uoles(!). ME. quid igitur? qui nunc vocare?

Most. 392. PHILO. ubi ego ero? TR. ubi maxume esse uis: [1]) cum hac, cum istac eris.

Epid. 572. AC. quam meam matrem? PE. quae (! —) exanimata exsequitur aspectum tuom. PH. quis istaec est quam tu osculum mihi ferre iubes. PE. tua filia.

Capt. 623. HE. eho, dic mihi, quis illic igitur est? AR. quem dudum dixi a principio tibi(?) [2]).

Pseud. 347. CA. quid ego ex te audio? BA. amicam tuam esse factam argenteam. CA. qur id ausu's facere? BA. lubuit: mea fuit. CA. eho, Pseudole. ei, gladium adfer. PS. quid opust gladio? CA. qui(?) hunc occidam atque me.

opust Ritschl, G. & S. *hoc* A, *qui ego hunc* conicit Lindsay.

Magis iam haec quae proxime ponam dubia; in secundo exemplo cogitari ni fallor possunt loquentis utriusque ad se ipsos interrogationes, potius quam ut indefinita fingas *(si quae):*

Capt. 281. HE ... quid diuitiae, suntne opimae? PHILOC. unde excoquat sebum senex.

optume cod. emendavit Camerarius.

Stich. 116. AN. ubi facillume spectatur mulier(?), quae ingeniost bono? PAN. quoi male faciundi est potestas(!), quae ne id faciat temperat(!).

faciat id P.

Similia his illa sunt quae iam adferentur. In iis enim novam videtur sermoni inferre interrogationem qui suspicionem vel aliud colloquentis dictum adfirmare vult. Ea autem tamquam anacolutha

[1]) De *volendi* verbo in interrogationibus saepius posito cfr quae infra dicentur.

[2]) De *dicendi* verbo interrogantis cfr infra.

solent ita explicare, ut *isne qui, eane quae* similia fingant, quae ut recentiori loquendi mori conveniant, vetustam originem spectanti vix satis faciunt. Ne in his quidem indefinito pronomini locum concesserim [1]). Non multa sunt, quamquam non omnia praebeo. Primo in exemplo Goetz et Schoell interrogandi signum ponunt:

Mil. 983. PY. sed ne istanc amittam et haec mutet fidem
uide modo. PA. uah delicatus: quae te tamquam oculos amet(!).
PY. Venus me amat.

Mil. 406. dudum epedol planumst id quidem, quae hic usque fuerit intus (quae alia nisi ea?! versu 401 multis interiectis *eam* est).

Trin 904. ⟨CH⟩. haeret haec res, siquidem ego apsens sum qu[i]a⟨m⟩ praesens longior.
nouistin hominem? SY. ridicule rogitas, quocum (alio? nisi cum illo) una cibum
capere soleo.

quam Rittershusius. *quicum* Fleckeisen.

Stich. 259. CR. an nullan tibi linguast? GE. quae quidem dicat dabo (! ea mihi non est):
uentri reliqui eccillam quae (? —) dicat cedo.

259 *nullam* A *nulla* P.

Truc. 198. quid ais tu? quae (! —) numquam fuit praegnas, qui parere potuit?

Truc. 533. paenitetne te quot ancillas alam,
quin examen super adducas, quae(?!) mihi comedint cibum.

quine haud sine causa F. Schoell.

Haud dissimilia illa, quamquam apte ex ante loquentis dicto haeret pronomen relativum, quondam in huius modi genere interrogativum:

Epid. 574. PH. haecine? PE. haec. PH. egone osculum huic dem?
PE. cur non, quae (! nisi illa) ex te nata sit.

Mil. 439. PH. egone? SC. tu⟨ne⟩. PH. quae(?!) heri Athenis Ephesum adueni uesperi.

ne add. Ritschl.

Epid. 699. EP. aio uel da pignus, ni ea sit filia.
PE. quam(!) negat nouisse mater.

quamne frustra A. Rauterberg Quaestiones Plautinae Wilhelmshaven 1883 p. 13.

Mil 972. PY. cupio hercle equidem, si illa uolt.

---

[1]) nisi forte hoc loco Terentii: Ter. Haut. 774. SV ... hunc cupere uxorem. CH. modone quae inuentast? SV. eam. Ellipsin *eane quae* quodam modo tuetur hic ipsius Plauti locus, quamvis aliter comparatus quam qui iam sequentur, Truc. 587. tun ⟨m⟩e ais inpudentem [me] esse, ipsa quae sis ⟨s⟩tabulum flagiti? (sic Goetz et Schoell). Hac de re nonnulla inter alios adfert J. Ax De anacoluthis Plautinis Terentianisque, Monasterii 1908.

PA quae (! nisi illa vel: quae! —) cupit?
Capt. 754 . . . ad patrem huius. AR. quem patrem, qui(?!) seruos est?
Amph. 790. AL. unde haec igitur est nisi aps te, quae (alia?) mihi dono datast?

In his exemplis atque in illis, ubi sunt *quine quaene* cet., explicandis aliquid lucis adferunt haec, in quibus post apertam interrogationem alia plus minusve aperta additur mirantis vel etiam indignantis interrogatio:

Cist. 713. HA. disperii misera: quid ego [ea] erae dicam? quae (quidem!) me opere tanto
seruare iussit, qui suos Selenium parentes
facilius posset noscere

ea sustulit Guietus.

Capt. 857. HE. egone. ER. tu ne.

Sicut hoc in exemplo, *-ne* interrogantis et *ne* adfirmantis uno tenore positis insigni, etiam illud adfirmanti convenit atque etiam in notissima interrogantium vel exclamantium particula *quin* (wie nicht?), quae confirmanti maxime est consentanea, huius modi locis *-ne* vim auget pronominis personalis vel interrogativi:

Rud. 747. TR. itane, impudens?
tune hic felis uirginalis liberos parentibus
sublectos habebis atque indigno quaestu conteres?

fallis P.

Asin. 477. LE. pergin precari pessumo? ME. quae res? tun libero homini
male seruos loquere? LE. vapula. ME. idquidem tibi hercle fiet . . :
Trin. 1094. CH. O Callicles, o Callicles, o Callicles,
qualine amico mea commendaui bona?

In his igitur *quin* poni potuit:

Amph. 696. SO. paulisper mane,
dum edormiscat unum somnum. AM. quaene (?! nisi illa) uigilans somniat?
AL. equidem ecastor uigilo et uigilans id quod factumst fabulor.
Aul. 437. EVC. etiam rogitas, sceleste homo, qui⟨ne⟩ angulos omnis
mearum aedium et conclauium mihi † peruium facitis?

quine Hermann, *qui ang. in* Leo, *qui* cod. Lindsay, *qui usque ang. o.* S. Sudhaus, Der Aufbau der plautin. Cantica, Leipzig 1909 p. 88.

Rud. 1019. quemne (?! nisi illum) ego excepi in mari?
Curc. 705. quodne (argentum) promisti?

Bacch. 331. NI. sed istic Theotimus diuesnest? CH. etiam rogas?
quine habeat auro soccis suppactum solum?
Mil. 13. quemne ego seruaui . . .
Mil. 66. PY. itane aibant tandem? AR. quaen me ambae opsecrauerint . . .
que P.

Most. 738. (navem) quaen subducta erat tuto in terra
quae nec cod.

Epid. 717. AP. ain tu te illius inuenisse filiam? EP. inueni et domist.
sed ut acerbumst pro benefactis quom mali[s] me⟨s⟩sim metas.
AP. quamne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere?
mali Pius.

Cist. 653. LA. nullam ego me uidisse credo magis anum excruciabilem
quam illaec est: quae dudum fassast mihi, quaene (qualis?!) infitias eat?
Cist. 675. quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedis cistellam,

Quibusdam locis haud nego posse in indefinitam significationem pronomen abisse cogitari, quae minus tamen vividis, quales ibi videntur, loquentium sensibus congruit.

Aliud se ipsum interrogantis genus est cum quis continuo sibi ipsi respondet, iam iam certior factus quis sit, quem dubitans viderit. Quattuor autem primos locos ideo attuli, quia iis quasi praeparatur plenum eius modi genus dicendi. In hoc autem vix de indefinita ratione cogitandum: *hic loquitur quis.* Editorum distinctiones servavi.

Aul. 731. EVC. quis homo hic loquitur. LYC. ego sum . . .
Fragm. Fab. incert. X (XXIV) numnam mihi oculi caecultant: estne hic noster Hermio?
Epid. 435. sed quis illic est quem huc aduenientem conspicor,
suam qui undantem c⟨h⟩lamydem quassando facit?
illic Seyffert, *hic* cod.

Stich. 237. quis haec est quae aduorsum it mihi?
Epignomi ancilla haec quidemst, Crocotium.
mihi adu. uenit A.

Iam in hoc genere, cuius ipsius nunc adferentur exempla, facilis est ad relativa transitus: qui hic loquitur, hic quidem est Pseudolus. Sententias distinxi ita ut editores.

Pseud. 445. SI. quis hic loquitur? meus est hic quidem seruos Pseudolus.

si quis P.

Poen. 1122. <GI.> nam quem ego adspicio? pro supreme Iuppiter,
erus meus hic quidemst, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginiensins. MI. ecce autem mala.

Ter. Andr. 800 . . . obsecro,
quem uideo? estne hic Crito sobrinus Chrysidis?

estne hic, quem uideo C. male transp. inter alios Fleckeisen.

Aul. 727. LYC. quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens?
atque [1]) hic quidem Eucliost, ut opinor: oppido ego interii: palamst res.

Ter. Eun. 545. quisnam hinc ab Thaïde exit?
is est an non est? ipsus est.

Etiam hoc loco mihi sentire videor interrogativam originem. De se ipse quid agat hic ut aliis quibusdam locis quaerit qui loquitur, ut sive se sive spectatores rem mente agitare cogat; scaenam igitur velim cogites, non logicam grammaticam:

Bacch. 667. sed quem quaero, optume eccum obuiam mihist.

hunc versum longe aliter Charisius; *quem* retinet.

Eius modi genus dicendi hoc quoque loco optime inducitur; hoc genus se ipsum interrogantis quondam fuit, quamquam ea vis post posita interrogatione evanuisse multis locis videbitur:

Stich. 582. sed uideone ego Pamphilippum cum fratre <E>pignomo? atque is est.

Merc. 598. sed isnest quem (? quem alium?) currentem uideo? ipsus est. ibo obuiam.

Capt. 788. sed Ergasilus estne hic, procul quem uideo?
collecto quidem est pallio. quidnam acturus est?

Trin. 433. PH. tempust adeundi. LE. estne hic Philto qui (quis alius?) aduenit?

Binae rursus instituuntur interrogationes huius modi:

Aul. 812. SERV. erumne ego aspicio meum? LYC. video<n> ego hunc [Strobilum] seruom meum?

uideo cod. *strobilum* eiecit Brix.

Bacch. 534. PI. estne hic meus sodalis? MN. estne hic hostis quem aspicio meus?
PI. certe ist est. MN. is est.

---

[1]) *atque* non per se relativam excluderet sententiam, cfr Bacch. 278 *forte ut adsedi . . . dum circumspecto, atque ego lembum conspicor*, cet. locos.

Rud. 333. AM. opsecro, quis hic loquitur? TR. quem ego uideo?
estne Ampelisca haec, quae foras e fano egreditur? AM. estne hic
Trachalio, quem conspicor, calator Plesidippi?
TR. east. AM. is est. Trachalio, salue. TR. Salue, Ampelisca:

333 ultima Ampeliscae dant G. & S.

Asin. 378. LE. ego abeo: tu iam, scio, patiere. sed quis hic est? is est,
illest ipsus. iam ego recurro huc: tu hunc interea hic tene . . .

Interiectionibus et eius modi dictis saepe adnectuntur interrogationes eadem vi atque illae elatae, quas qui logica ratione explicare voluerit, aliqua tamen difficultate poterit relativa significatione instruere, sicut in primo exemplo: *tu . . . quo fretus sim* vel in secundo comparative *quantum* quis explicet; indefinita minime sunt. Quae quamquam raro relativa sunt vera, et exclamativam ipsius *qui* pronominis vim et relativi *qui* originem haud scio an illustrent:

Ter. Andr. 619. tu rem inpeditam et perditam restituas? em quo(?!) fretus sim,
qui me hodie ex tranquillissuma re coniecisti in nuptias.

siem cod.

Poen. 225. apage sis: negoti quantum in muliere unast.

Bacch. 371. Bacchides non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrumae.
apage istas a me sorores, quae(!) hominum sorbent sanguinem.

Poen. 923. dei immortales, quanta turba, quanta aduenit calamitas
hodie ad hunc lenonem [1]).

aduentat Lindsay.

Ter. Andr. 744. di uostram fidem,
quid turbaest apud forum, quid illi hominum litigant!

Neque magis haec relativam accipiunt rationem, in secundo: ea tempestate quam . . . ventus, vel in sequentibus: propter ea quod.

Rud. 83. SC. pro di immortales, tempestatem quoiusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma.
detexit uentus uillam: quid uerbis opust?

---

[1]) *Di immortales, ut* (exclamativum) praebent Cas. 418, 902, Epid. 13, 56, Truc. 806, 864, cfr Rauterberg, Quaestiones Plautinae, Wilhelmshaven 1883, p. 10, 11, P. Tschernjaew Terentiana, Casani 1900 p. 155 et C. Wengatz De Plauti senariorum iambic. compositione artificiore, Marpurgi 1910, p. 66.

Most. 530. pro di immortales, opsecro uostram fidem,
quid ego hodie negoti confeci mali!

malum cod. corr. Guietus.

Poen. 967. HA. pro dei immortales, opsecro uostram fidem,
quam orationem hanc aures dulcem deuorant.

Amph. 299. oppido interii: opsecro hercle, quantus et quam ualidus est.

Haec cum antecedentibus praesertim comparata vix indefinita ratione sunt explicanda:

Eun. 1049. di uostram fidem, incredibilia
Parmeno modo quae(?!) narrauit. sed ubist frater? [1])

Ter. Phorm. 24. o Phaedria incredibile quantum erum ante eo sapientia:

Sequenti loco interiectio post ponitur:

Poen. 827. ita me di ament, uel in lautumiis uel in pistrino mauelim
agere aetatem praepeditus latere forti ferr<e>o
quam apud lenonem hunc seruitutem colere. quid illuc est genus
quae(?) illic hominum corruptelae fiunt! di uostram fidem!
quoduis genus ibi hominum uideas . . .

829 *quod* Bothe.

Capt. 806. vae misero illi: quoius(!) cibo iste factust imperiosior.

is conicit Lindsay.

Cas. 115. OL. scies hoc ita esse. CHA. vae tibi. OL. quot te modis,
si uiuo, habebo in nuptiis miserum meis.

vae tibi Olympioni tribuit A nescio an recte.

In his quoque langueret relativa ratio (*quod* pro *cur* et cet.):

Ter. Hec. 74. eheu me miseram, cur non aut istaec mihi
aetas et formast aut tibi haec sententia!

Most. 560. DA. sed Philolachetis seruom eccum Tranium,
qui(?!) mihi neque foenus neque sortem argenti danunt.

Asin. 292. LI. edepol hominem infelicem, (qualis is est qui . . ?!) qui patronam conprimat:

di infelicent quod coniecerat ipse respuit Goetz, defendit Havet.

Pers. 563. TO. ex tuo inquam ussust: eme hanc.
DO. edepol qui quom hanc magis, contemplo, magis placet.

ussut B.

Amph. 705. si obsequare, una resoluas plaga. AM. at pol qui certa res
hanc est obiurgare, quae(?) me hodie aduenientem domum
noluerit salutare. SO. inritabis crabrones. AM. tace.

---

[1]) cfr Heaut. 220. is mihi, ubi adbibit . . . sua quae narrat facinora!

Indignantis has interrogationes duplicatas appono; in secunda *qui* etiam nunc fortasse duplicat iterum interrogando vim sententiae; sic certe exstitit talis sermo: [1])

Bacch. 283. NI. adeon me fuisse fungum, ut(?!) qui(?!) illi crederem.
Bacch. 491. satin ut(?!) quem(?! cfr quem?! quam?! quae postea coaluerunt) tu habeas fidelem tibi aut quoi(?!) credas nescias?

Quid vis? quid lubet? similia facile in hypotaxin ex primigenia parataxi abire et relativa sive videri sive esse nescio an plerique iam concedant. Nonnulla tamen adfero exempla.

Cas. 292. optio haec tuast: utram harum uis condicionem(?) accipe.
Rud. 852. LA. salue. PL. salutem nil moror. opta ocius,
rapi te obtorto collo mauis an trahi?
utrum uis(?) opta, dum licet. LA. neutrum uolo.
Truc. 571. des quantum(?) uis, nusquam apparet neque datori neque acceptrici.
Cas. 242. CL . . . ecquid te pudet? LY. omnia quae(?) tu uis. CLE. ubi in lustra iacuisti?
quae tu uis omnia maluit Geppert.

Men. 215. ER. quando uis(?) ueni: parata res erit.
Ter. Andr. 848. ubi uoles(?) accerse.
Merc. 886. maxime quod(!) uis audire, id audies, quod gaudeas.
audis cod. emend. Camerarius.

Trin. 277. adsum: impera quid uis: [2])
quod P.

Comparandus est hic locus, quamvis non eiusdem generis:

Pseud. 383. CA. ecquid imperas?
quid P1.

Huc pertinet illud quoque, ubi parataxi facile excusatur anacoluthon:

Bacch. 726. PI. quae imperauisti: imperatum bene bonis factum ilicost.
CH. quid parasti? PI. quae parari tu iussisti omnia.
Stich. 698. vide, utram tibi lubet etiam nunc capere, cape prouinciam.

---

[1]) *neutiquam* quod comparatur, cum propter *ne* non finale vetustissimum videatur, nonne fuit primitus: non, qui?! non, quo modo?! Repetita uno tenore interrogandi verba usitatissima sunt. Postea sicut in *quisquam,* de quo infra plura dicentur, indefinita significatio exorta est.

[2]) Relativa eius modi esse negat F. Leo Plautinische Forschungen Berlin 1895 p. 287 not. 2.

⟨SA.⟩ quid istuc est prouinciae? ST. vtrum Fontine an Libero
imperium te inhibere mauis? SA. nimio liquido Libero.

cape om. A. *fontale* P.

Ter. Phorm. 562. oneris quid vis impone, ecferet.

et feret cod. *et* om. A. *ecferet* Guilelmus *hic feret* Hauler *id feret* Havet.

Relativa iam haec videntur:

Asin. 232. dic quod lubet.
Asin. 226. tum tu igitur loquere quod lubet

quid variatur in D cod.

Epid. 696. EP. bene hoc habet: age nunciam ex me exquire, rogita quod lubet.
Rud. 1333. LA. quod tibi lubet, id mi impera[t].

Simillimum vero hoc est paratacticum, simillima quae sequuntur:

Poen. 1087. dic mihi, quid lubet?
Trin. 569. quid tibi lubet, tute agito cum nato meo.
Amph. 396. ut lubet, quid tibi lubet, fac quoniam pugnis plus uales[1]).
Pers. 398. uel tu me uende vel ⟨me⟩ fac quid tibi lubet.

In sequentibus quoque miscentur haec loquendi genera:

Aul. 260. pactum non pactumst, non pactum pactumst, quod uobis lubet.
Bacch. 866. pacisce ergo, opsecro, quid tibi lubet.

paciscere cod. corr. Bothe.

Ne in tertia quidem persona desunt pristini usus interrogativi vestigia:

Merc. 991. supplici sibi sumat quid uolt ipse ob hanc iniuriam[2]).

Si quis se scire dicit vel dici vult aliquid, primigenia habenda est parataxis interrogativa, haud indefinita, nisi paucissimis locis:

Mil. 36. hem scio iam quid uis dicere.

His locis de se ipse interrogat qui loquitur:

Bacch. 78. BA. scio ⟨ego⟩ quid ago. PI. et pol ego scio quid metuo, sed quid ais? BA. quid est?
Truc. 786. egomet quid peccavi scio.

net cod. *quod* E. Becker, Kiessling, Leo, Lindsay.

[1]) Cic. fam. IX 15,2 *existimes licet quid lubet* recte comparat H. Lattmann Deutsche Litteraturz. XXX 1909 p. 1866.

[2]) Cic. Att. XI 19,1 *velim quid erit, qualecumque erit, scribas*, quem locum debeo H. Lattmanno Deutsche Litteraturz. XXX 1909 p. 1866.

Neque obstat parataxi quod praecedit determinativum quod perhibetur pronomen:

Pseud. 16. PS. licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
supremum habuisti comitem consiliis tuis.
CA. idem animus nunc est. PS. face me certum quid tibist:

Ter. Eun. 338. scin quid ego te uolebam?

Amph. 346. ME. possum scire, quo profectus, quoius sis aut quid ueneris?

Dicendi haec sunt exempla:

Amph. 421. signi dic quid est.

Poen. 1016. narra quid est, quid ait.

Bacch. 733. CH. ne interturba. ⟨MN.⟩ iam imperatum in cera inest. CH. dic quem ad modum?

Epid. 274. PE. quin tu eloquere, quid faciemus?

Cist. 56. eloquere utrumque nobis,
et quid tibist et quid uelis nostram operam, ut nos sciamus.

uelit codices.

Cist. 82. SE. hoc uolo agatis: qua accersitae causa ad me estis, eloquar.

His appono animadvertendi, videndi sentiendi audiendi, exempla:

Poen. 1278. AG. patrue, facito in memoria habeas, tuam maiorem filiam
mihi te despondisse. HA. memini. AG. et dotis quid promiseris.

Men. 473. obserua quid dabo.

Pers. 291. specta quid dedero.

Rud. 592. nunc leonem quid agit intus visam, conuiuam meam.

agat Camerarius non recte.

Most. 817. TR. viden vestibulum ante aedis hoc et ambulacrum, quoius modi?
TH. luculentum edepol profecto. TR. age specta postes, quoius modi;
quanta firmitate facti et quanta crassitudine.

Stich. 410. videte, quaeso, quid potest pecunia.

Capt. 383. ergo animum aduortas uolo,
quae nuntiare hinc te uolo in patriam ad patrem. [1])

Mil. 1261. MI. Militem pol
tu aspexisti. AC. ita. MI. non uideo. ubist? [2]) AC videres pol, si amares.

Capt. 207. LOR. at fugam fingitis: sentio quam (!) rem agitis.

agis Hermann metri gratia.

---

[1]) cfr paulo ante *quid ago* illud, ne relativum putes propter inversum ordinem sententiarum.

[2]) sic distinguunt editores.

Asin. 884. PA. audin quid ait? ART. audio. DE. egon ut non domo uxori meae . . .
Capt. 592. audin quid ait (prorsus simile Pers. 655).
Ter. Eun. 1037. audin (?) hic quid ait
Asin. 446. heus iam satis tu. audin quae loquitur? LE. audio et quiesco. ME. tandem opinor conticuit.

Pseud. 194. PS. audin, furcifer, quae loquitur? satin magnificus tibi uidetur?

quae loquitur om. A, secutus est Lindsay.

Mil. 1222. PY. audin quae loquitur? (prorsus simile Men. 909 Asin. 447, Bacch. 861)[1])
Men. 602. satin audis quae illic loquitur?

statin cod.

Pseud. 230. CA. Pseudole, non audis quae hic loquitur?
Men. 478. PE. nequeo quae loquitur exaudire clanculum,
satur nunc loquitur de me et de parti mea?

479 om. A.

Ter. Heaut. 731. mea Phrygia, audistin, modo iste homo quam uillam demonstrauit
Charini? Ph. audiui. BA. proxumam esse huic fundo ad dextram? PH. memini. BA. curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
Bacch. 273. CH. porro etiam ausculta pugnam quam uoluit dare.

Quid quis iusserit vel voluerit saepe a suis quaerit, quo magis ad rem animum attendant; ubi facile *qui* pronomen pro relativo accipitur:

Cas. 170. MY. . . iussin colum ferri mihi? CLE. Myrrhina, salue.
Pers. 183. TO. . . satin haec meministi et tenes?
Pa. melius quam tu qui docusti . . .
TO. quid ergo dixi. PA. ego recte apud illam dixero.

184 *tu* om P.

Similia, ni fallor, haec quae vix omnia relativa sunt:

Pers. 379. SA. scis nam, tibi quae praecepi? VI. omnia
SA et ut ui subrepta fueris . . et qui parentes fuerint . .
Capt. 252. ubi sunt isti (?) quos (?) ante aedis iussi huc produci foras?
Pers. 108. TO. sed [h] ecquid meministi, here,
qua de re ego tecum mentionem feceram?
Pseud. 1308. sed, Simo ut probe tactust Ballio.
quae tibi dixi, ut effecta reddidi.

---

[1]) De huius modi loquendi generibus omnibus copiosissime E. Becker. De syntaxi interrogationum obliquarum et c. p. 270 s. (in Studem. Studiis I).

Pers. 304. quae dixi ut nuntiares,
satin ea tenes?
satine tenes A.

Mil. 1097. PA. quid me consultas quid agas? dixi equidem tibi,
quo pacto id fieri possit clementissume:
aurum atque uestem muliebrem omnem habeat sibi
quae illi instruxisti: sumat, habeat, auferat:
Most. 522. sed tu, etiamne astas nec quae (!) dico optemperas?

His nescio an illa adscribenda sint, quorum in secundo attractio tollitur, si quae loquitur se ipsam interrogasse existimatur:

Amph. 410. quin quae dixisti modo
omnia ementitu's: equidem Sosia Amphitruonis sum.
Merc. 803. SY. era quo me misit, ad patrem, non est domi.
rus abisse aiebant. nunc domum renuntio.
Asin. 578. LI. iam omitte ista et hoc quod (?) [1]) rogo responde. LE. rogita quiduis.
ista atque codd. corr. Schmidt; *quidvis* D, *quod* facilior lectio.

Eadem de se ipso interrogantis ratio in his mihi certe perspicua est; nimis attenuata vi indefinita interdum agnoscas.

Bacch. 1202 quod (?) semel dixi hau mutabo.
Capt. 558. Hegio: fit quod (?) tibi [ego] dixi, gliscit rabies: caue tibi.
Cas. 788. PAR. fit, quod(?) futurum dixi: incenatum senem
foras extrudunt mulieres. LY. quid tu hic agis?
Merc. 403. uerum quod(?) praeterii dicere,
neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes.
Pers. 663. DO. nimiumst. SA. octoginta. DO. nimiumst. SA. nummus abesse hinc non potest
quod (quid ergo?) nunc dicam. DO. quid id est ergo? eloquere actutum atque indica.

In proverbiis adferendis item quid quis dicat quaerere videtur ut audientium animis id ipsum infigat, quod aperte fit in primis his duobus locis; in ceteris ex interrogativa, non indefinita vi exeundum est, si originem enuntiati investiges. Haec quoque in memoriam revoces velim: *ut* (?) *aiunt, quod aiunt.*

Most. 790. heus tu si uoles uerbum hoc cogitare:
simul flare sorbereque hau factu facilest.
Trin. 350. sed civi inmuni scin quid cantari solet:
„quod habes, ne habeas“ et q. s.
scis P.

---

[1]) Cfr illud *quid ago?*

Cist. 14. LE. quod (quid?) ille dixit, qui secundo uento uectus est tranquillo mari:
ventum gaudeo ecastor ad te: ita hodie hic acceptae sumus suauibus modis

mare codd.

Fragm. Fab. 72 (69 Lindsay) I. heus tu, in barbaria quod (quid?) dixisse dicitur
libertus suae patronae, id e<g>o dico <tibi>:
'Liberta<s> salue: uapula Papiria.'

Truc. 931. PHR. venitne in mentem tibi quod (?) uerbum in cauea dixi<t> histrio?
omnes homines ad suom quaestum calent et fastidiunt.
STRAT. huncine hominem te amplexari[s] tam horridum ac ta<m> squalidum. [1])

codicum turbae minus ad nos pertinent.

Continuatis interrogationibus facile exstitit relativa ratio, cum in eo quod sequebatur enuntiato alterum *quis qui quid* attenuata vi tamquam ad nectendas tantum sententias positum acciperetur. Itaque altero loco si *quis* et *qui, quid* et *quod* mutaveris, nihil in ipsa re, haud multum in sensu et forma verborum interest. Indefinitam significationem in hoc genere frequentissimo parum est quod quaeras. Prima pauca, interrogationibus plena, adfero quibus continuatas illas eadem in re interrogationes praeparem.

Truc. 303. quid maceria illa ait in horto quaest, quae in noctes singulas
latere fit minor, qua isto ad uos damni permensust uiam?

quiin Pi. *aut* P. *isto ad* Seyffert, Lindsay *is aput A isti* P *is hoc ad* Priscianus; quidquid est, interrogativa certa sunt.

Bacch. 568. MN. quid? amas Bacchidem? PI. duas ergo hic intus eccas Bacchides —
MN. quid, duas — PI. atque ambas sorores. MN. loqueris nunc nugas sciens.

duae cod. emend. Pylades.

Aul. 713. EVC. perii, interii, occidi. quo curram? quo non curram? tene, tene. quem? quis?
nescio, nil uideo . . .

---

[1]) Ex ictu metrico, qui his omnibus locis admodum variat, vix quidquam lucis in totam rem adspergetur. Verum ubi non omnia excussi, nihil adfirmo. Digna res, quae amplius diiudicetur. Similia apud Petronium inveniuntur: quo modo dicunt (38). Omnia hic adnotavi, quae de hoc loquendi genere comparanda cum Plauto existimo Petroniana: non dixerat *quid* pridie cenaveram (76), audite *quid* amanti succurrerit, non invenio *quod* feci (130), ignoscetis mihi *quid* dixero (50).

Cist. 724. PHA. et nos te. sed quid quaeritas? HA. vestigium hic requiro,
qua aufugit quaedam * * * * aestio * 〈LA.〉 * quid id? quidnamst?

Cas. 594. LY. . . quid ais, uir minimi preti?
quid tibi mandaui? quid tecum oraui? AL. quid est?
LY. at bene uociuas aedis fecisti mihi.

Capt. 529. neque iam Salus seruare, si uolt, me potest: nec copiast,
nisi si aliquam corde machinor astutiam.
quam, malum? quid machiner? quid comminiscar? maxumas
nugas, ineptiam incipisse haereo.

531 *qua* cod. nescio an recte; 532 fort. *incipisso*.

Asin. 392. sed quid uenis. quid quaeritas? ME. Demaenetum uolebam.

Aul. 718. quid est? quid (quod) ridetis? noui omnes: scio fures esse hic complures,

quod (ridetis) B, utrumque defendi posse ait recte Ritschelius.

Poen. 711. AG. quid est? quid (quod) uoltis, testes? [1])

Interiecto *quin dicis* memorabile hoc est:

Pers. 144. quid nunc? quid est? quin dicis quid facturus sis? [2])

Bacch. 54. BA. quid est? quid (quod) metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?

Bacch. 92. BA. quid est quod(?) metuas? PI. nihil est: nugae. mulier, tibi me emancupo:

Poen. 882. . . tum autem, siquid tu adiuuas,
eo facilius facere poterit. SY. at ego hoc metuo, Milphio —
〈MI.〉 quid est quod metuas?

poteris P.

Bacch. 1156. quid est quod pudeat?

Cas. 179. Sed quid est, quod tuo nunc animo aegrest?
nam quod tibist aegre, idem mihist diuidiae.

dividuac P.

Rud. 833. quid est quod caueam?

Mil. 195. sed quid est Palaestrio,
quod uolutas tute tecum in corde?

Mil. 171. quid est?
quid tumultuas cum nostra familia?

172 om. P.

Hoc in exemplo *quod* coniunctionis, quae dicitur, origo inter-

---

[1]) De *quid est* P. Langen Plautinische Studien Berlin 1886 p. 362 s.
[2]) Cfr H. Schnoor Quaest. Plaut. Kiliae 1878 p. 16.

rogativa vel exclamativa conspicua est. Exclamanti maxime conveniunt verba sensuum, quae *quod* particula saepissime inducuntur.

Cas. 630. LY. nam quid est, quod haec huc timida atque exanimata exsiluit?

Epid. 570. quid est pater, quod me exciuisti ante aedis? PE ut matrem tuam uideas.

Merc. 174. CHA. quin tu expedis,
quid siet quod me per urbem currens quaerebas modo?

Men. 677. scin quid est, quod ego ad te uenio?

Ter. Eun. 504. quid? quid aliud uolui dicere?
ehem, curate istam diligenter uirginem:

Et ex continuata protinus interrogatione *quid quod* — repetiti *quid* exempla paulo post adferam — exortum censeo, velut ex hoc:

Ter. Ad. 253. quid quod te oro? [1])

Trin. 412. ST. quid, quod dedisti scortis? LE. ibidem una traho.
ST. quid, quod ego defrudaui? LE. em, istaec ratio maxumast.

412 *unam* A. 413 *quid* uncis inclusit Fritzsche, Lindsay M. Niemeyer (Berl. ph. W. 1909 p. 1627), crucem imposuerunt G. & S.

Poen. 678. CO. iamne itis? quid, quod uobis mandaui, hospites?

Asin. 524. quid dedit? quid deportari iussit ad nos?

deportari ultimo loco Lindsay.

Cas. 321. LY. quid agit, quid loquitur tecum? OL. orat opsecrat.

ait PE.

Trin. 871. CH. quid, adulescens, quaeris? quid uis? quid istas pultas?

Mil. 1297. quid [tu] uis? quid pultas?

uis (ueis) Ritschl, *tu eis*? P.

Comparandum hoc est:

Mil. 1254. quid astitisti obstupida? cur non pultas?
AC. quia non est intus quem ego uolo. MI. qui scis? AC. scio edepol.

Iam ea sequuntur, quae praecedentibus pronominibus *hic, iste, ille, is* ad relativa vergunt, ita tamen ut in quibusdam aperta maneat interrogatio, in ceteris vestigia eius:

Men. 637. ME. quid hoc est, uxor? quidnam hic narrauit tibi?

Mil. 1343. sed quid hoc? quae res? quid uideo? lux, salue.

quaeris cod. emend. Seyffert, *quid* Itali et editores, sed *quod* cod.

---

[1]) De *quid quod* cfr. O. Seyffert Berl. phil. W. XVI 1896, 816.

Poen. 1296. sed quid hoc est? quid hoc est? quid ego uideo? quomodo?

quid hoc secundo loco P.

Curc. 456. LY. quid hoc quod (quid) ad te uenio? . . .
Cist. 655. sed eccam eram uideo. sed quid hoc est, haec quod (quid) cistella hic iacet
cum crepundiis? nec quemquam conspicor alium in uia.
Asin. 262. sed quid hoc, quod (quid) picus ulmum tundit? hau temerariumst.

Quocum comparandum iam hoc est:

Aul. 624. non temerest quod coruos cantat mihi nunc ab laeua manu.

Bacch. 415. quid hoc negoti est Pistoclerum Lydus quod (quid?) erum tam ciet.
Cist. 774. DE. quid hoc negotist, quod omnes homines fabulantur per uias
mihi esse filiam inuentam? et ⟨iam⟩ Lampadionem me in foro
quaesiuisse aiunt.

filiam mihi esse Ussing *etiam* Schoell.

Men. 997. quid hoc est negoti: quid illic homines ad me currunt, opsecro?

quod posteriore loco Bach, *illisce* Lindsay.

Men. 762. quid iam hoc sit negoti quod filia sic
repente expetit me ut ad sese irem
nec quid id sit mihi certius facit,
quid uelit, quid me accersit?
uerum propemodum iam scio, quid siet rei:

sic filia Spengel, Lindsay. 764 *accersat* Lambinus.

Bacch. 583. ecquis exit? PI. quid istuc? quae istaec est pulsatio?
qui⟨d est? quae⟩ te mala crux agitat, qui ad istunc modum
alieno uires tuas extentes ostio?

584 supplevit Seyffert; *quae te male mala* Lindsay vix recte.

Mil. 1306. quid istuc, quaeso? quid oculo factumst tuo?

oculus factus B.

Mil. 420. heus, quid istuc est, Philocomasium?
quid tibi istic in ⟨ist⟩isce aedibus debetur? quid negotist?
quid nunc taces? tecum loquor.
Amph. 502. AL. quid istuc est, mi uir, negoti, quod tu tam subito domo
abeas? IV. edepol haud quod tui me neque domi distaedeat:
Capt. 541. AR. quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare,
Truc. 394. sed quid istuc? quoi rei te[m] adsimulare retulit?

Merc. 364. quid illuc est quod solus secum fabulatur filius?
Merc. 379. quid illuc est quod a me solus se in consilium seuocat?
mea me vel *illa me* codd. *hic a me* mavult Anspach.

Asin. 265. sed quid illuc, quod exanimatus currit huc Leonida?
Mil. 36. quid illuc quod dico?
Men. 637. quid id est? quid taces? quin dicis quid sit? [1])
Cas. 243. CL. scio plus quam tu me arbitrare. LY. quid id est? quid [tu] scis?
tu sustulit Geppert.

Truc. 296. STR. scio ego plus quam tu arbitrare scire me. AST. quid id opsecrost quod scias?
Merc. 159. quid ⟨id⟩ est igitur quod (quid!) uis?
id ad. Pylades Bentley.

Men. 397. dic quid est id quod negem, quod fecerim.
Pers. 553. quid id quod uidisti?

Dubia haec quae sequuntur sunt:

Poen. 1225. HA. quid istic? quod faciundumst, cur non agimus? in ius uos uolo.
uoco haud sine causa Camerarius, G. & S.

Bacch. 1108. PH. sic est. sed tu, quid tibist? pol mihi par idemst quod tibi.

Adduntur ea in quibus ad *quid est* adnectitur enuntiatum, quod adverbiali notione interrogativa inducitur:

Truc. 796. CA. loquere tu: qui dare te hu⟨i⟩c puerum iussit? ANC. era maior mea.
CA. quid tu? cur eum accepisti?
796 *huc* Merula *ira* cod. 797 s. exclusit Langen.

Capt. 669. sed quid negotist? quam ob rem suscenses mihi? [2])
Cist. 362. SEN. uolo ex te scire, quidquid est meu' filius quod fecit.
quid ego usquam male feci tibi ⟨aut m⟩eus quisquam, id edisserta,
quam ob rem(?) me meumque filium cum ⟨matr⟩e remque nostram
habes perditui et prae⟨dat⟩ui? GY. ⟨mi⟩ser errat, ut ego dixi.
Studemundi et Seyfferti supplementis usus sum.

Aul. 735. LYC. id quod uerumst. EVC. quid ego ⟨de t⟩e ⟨de⟩ merui, adulescens, mali

---

[1]) De hoc loco cfr J. Bach in Studemundi Studiis II Berlin 1891 p. 372 et de *quid id est* Schlee in Archivo Woelffliniano 1886 III p. 553 s.

[2]) De *quam ob rem* et aliis eius modi locutionibus cfr G. Deecke De usu pronominis relativi et c. dissert. Gottingens. 1907 p. 55.

quam ob rem(?) ita faceres meque meosque perditum ires liberos?

Lindsayium sequor in exscribendis verbis.

Bacch. 1144. sed quid est quapropter(?) nobis uos malum minitamini?
Amph. 815 AL. quid ego feci, qua istaec propter(?) dicta dicantur mihi?
Rud. 1058. DAE. quid negotist? TR. vir scelestus illic est. DAE. quid fecit tibi
vir scelestus? TR. homini ego isti talos subfringi uolo.
DAE. quid est qua de re(?) nunc inter uos litigatis? TR. eloquar.

nunc litig. cod. transp. Schoell *lit. n. i. uos* Camerarius Lindsay.

Aul. 435. CONG. quid est (? Ussingius recte), qua prohibe(a)s nunc gratia nos coquere hic cenam:
quid fecimus, quid diximus.

quia B[1]DV[1] pro *qua; prohibes* plurimi editores.

Hoc qui sequitur loco Lindsay *quid hoc?* per se interrogari indicat, cetera cum sequenti versu logica ratione nimisque eleganter coniungit; Goetz et Schoell paulo simplicius post *miseram* interrogandi signum ponunt. Plautus ipse vel Nicobulus senex, neuter in re grammatica nimium acutus, nonne tria interrogata voluit hac ratione:

Bacch. 249. NI. quid hoc? qua causa eum ⟨hinc⟩ in Ephesum miseram?
accepitne aurum ab hospite Archidemide?

Simillima denique haec appono:

Rud. 208. nec cibo nec loco tecta quo sim scio.
quae mihist spes(?) qua me uiuere uelim?

freta Leo conicit.

Truc. 382. sed quod ego facinus audiui adueniens tuom(?)
quod tu hic me apsente noui negoti gesseris? [1])

382 *quid* P *me hic abs.* A.

Continuatae vel periphrasticae interrogationes huius generis *quid est quod* . . quo modo ortae sint vidimus. Iam cum de *quis est qui* . . agetur, denuo dicendum vel potius exemplis allatis demonstrandum est *qui* substantivum a Plauto ad interrogandum adhiberi, sicut:

Amph. 382. ME. quid igitur? qui nunc uocare? SO. nemo nisi quem iusseris.

---

[1]) De Catulli 81 *nescis quid facinus facias* cfr G. Friedrich in Comment. editionis suae.

Capt. 833. HE. perlubet hunc hominem conloqui: Ergasile. ERG. Ergasilum qui uocat?
. . . sed quis est?

834 *qui* P, *quid* PE.

Aul. 350. STR. heu⟨s⟩, Staphyla, prodi atque ostium aperi. STA. qui uocat?

Iam in iis, quae nunc adferam exemplis, apparet quo modo ortus sit relativus usus *(quis est? qui vocat?)* — si est re vera relativus. Neque de indefinito pronomine cogitaverim, quod quidem hic locis nescio an dictum fuerit *vocat quis,* praesertim cum saepius *qui vocat* interrogativo sensu positum esset atque eodem loco saepe exstaret, interrogativis scatente.

Rud. 676. TR. quid est? quae illaec oratiost?
cesso ego has consolari? heus, Palaestra. PA. qui uocat?
TR. Ampelisca. PA. opsecro, quis est qui uocat?
AM. quis is est qui nominat?

678 *quis is est* vix recte Leo.

Mec. 808. . . . Syra. SY. quis est qui (? qui?) me uocat?

Simillimum est praeceditque altera interrogatio *(quid hoc est)*:

Pseud. 246. quid hoc est? quis est qui (? qui?!) moram mi occupato molestam optulit?

Ad eundem dicendi morem sine dubio usitatissimum haec, nisi me omnia fallunt, referenda sunt — *qui* nonnumquam positum videtur pro *qualis,* sicut saepius apud Latinos *is* quam *talis* dicitur —:

Rud. 258. PT. qui sunt qui a patrona preces mea expetessunt?
nam uox me precantum huc foras excitauit.
bonam atque obsequentem deam atque haud grauatam
patronam exsequontur benignamque multum.

ultima vix sana ad nos minus pertinent.

Neque dissimilia illa, in quibus accusativus posterioris pronominis vix diminuit continuatae interrogationis vim:

Cas. 213. CL. st! tace! MY quid est? CLE. em. MY. quis est (?) quem uides? CLE. vir eccum it.

est in initio cod.

Truc. 130. DI. dic quo iter inceptas? quis est(?) quem arcessis? AST. Archilinem

istic pro *dic* P *qui es* P.

Amph. 1015. . . . exquirere,
quis fuerit quem (?!) propter corpus suom stupri compleuerit.

Neque aliter se habet res, ubi in priore interrogatione, primigenia certe, demonstrativum pronomen, *hic iste ille,* additur (in secundo exemplo memorabilis praeterea est *hunc* et *quem* pronominum iuxta positio), quod iam ante de *quid est quod* vidimus.

Trin. 840. sed quis hic est qui (? qui?) in plateam ingreditur
cum nouo ornatu specieque simul?
Pseud. 592. sed hunc quem uideo? quis hic est qui(? qui?) oculis meis obuiam ignobilis obicitur?

ignorabilis P. haud inscita interpretatio.

Amph. 1071. neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque prouidimus.
sed quid hoc? quis hic est senex,
qui(? qui?) ante aedis nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iuppiter?
Bacch. 451. LY. sed quis hic est, quem astantem uideo ante ostium?
Pers. 199. PAE. istuc marinus passer per circum solet.
illic hinc abiit intro huc. sed quis haec est quae me⟨d⟩ aduorsum incedit?
SO. Paegnium hic quidemst. PAE. Sophoclidisca haec peculiarist eius,
quo ego sum missus.
Rud. 650. DAE. quis istic est qui(? qualis?!) deos tam parui pendit?

Binae eius modi interrogationes complectuntur hoc loco:

Pers. 13. ⟨TO.⟩ quis illic est qui contra me astat? SA. quis hic est qui si⟨c⟩ contra me astat?
TO. similis est Sagaristionis. SA. Toxilus hic quidem meus amicust.
TO. is est profecto. SA. eum esse opinor. TO. congrediar. SA. contra adgredibor.
TO. o Sagaristio, dei ament te. SA. o Toxile, dabunt di quae exoptes.

13 *qui si* A *qui* B emend. Schoell.

Bacch. 850. Chrysale, quis illest qui(? qui?!) minitatur filio?

Hoc loco, ubi accusativus casus posterioris pronominis est, Eunomia fratris voluntatem exquirit, prorsus nescia quae sit futura eius uxor; *ea* autem etiam minus quam demonstrativa vox relativam rationem adiuvat. In sequentibus *quis homo* in priore sententia ponitur:

Aul. 170. ⟨EVN.⟩ dic mihi, quaeso, quis east quam(? quam!) uis ducere uxorem? MEG. eloquar.

si audes pro *quaeso* ex Prisciano et Persii scholiasta haud sine causa Lindsay et iam Vossius. *quae* pro *quis* Persii schol.

Bacch. 807. quis homost qui(? qui?!) dicat me dixisse istuc . . [1])
Rud. 645. quis homost tanta confidentia,
qui(? qui?!) sacerdotem audeat uiolare?

Ampliora etiam in sequentibus priorem interrogationem augent:

Amph. 292. sed quis hic est homo, quem(? quem?!) ante aedis uideo hoc noctis? non placet.
Truc. 593. sed quisnam illic homost, (? qualis!) qui ipsus se comest,
tristis oculis malis?
Epid. 637. TE. quis tu homo's, qui (qualis tu?) meum parentum nomen memoras et meum?
EP. non me nouisti? TE. quod quidem nunc ueniat in mentem mihi.
Curc. 86. quisnam istic fluuiust, quem(? quem!) non recipiat mare?
Capt. 829. quae illaec est laetitia quam(? quam!) illic laetus largitur mihi?

Quoniam haec relativorum vel potius prima origine interrogativorum genera persecuti sumus, singularia quaedam, quae tamen fere omnia in quotidiano sermone frequentissime sine dubio occurrebant, ad cetera transibimus. Ea ita disponemus, ut prius antecedentia relativa, deinde postposita tractemus. In utroque genere principem locum tenere iure videntur, quae ad adverbiales notiones exprimendas adhibentur et in simplici sermone difficilius relativae hypotaxi accommodantur. Hic igitur si origines hypotaxeos quaerimus, loquentes ad parataxin interrogativam, saepe exclamativam, recurrere videmus, sicut omni in lingua cum primigenia cuiusdam vocabuli vel loquendi generis significatio evanuit, novo modo, aliis interdum vocibus eadem prorsus dicendi ratio resurgit (ex. gr. *ut,* deinde *quem ad modum*). *Qui* autem radix, multa et robusta interrogativorum et exclamativorum vocabulorum propagine confirmata, ut *quid quidni quî quin quippe quippini, quam, quando, qualis, quot,*

---

[1]) De huius modi locis nuperrime R. Methner Bedeutung und Gebrauch des Konjunktivs in den latinischen Relativsätzen und Sätzen mit *cum* Berlin 1911, p. 10 s., antea A. Dittmar Studien z. Moduslehre 1897, p. 98, contra quem B. Delbrück in syntaxi sua indogerm. III p. 403. De Methneri libro cfr H. Meltzer in Deutsche Litteraturz. 1911 p. 2209 s.

quantus, quoia[1]) *quo modo,* suis ipsa etiam viribus diu interrogativae vel exclamativae significationis memoriam quandam retinuit et eam vi vigente tum hoc tum illo genere loquendi denuo suscitavit.

Sed iam verba et cogitata omittamus, singulas res recenseamus. Adverbialia igitur enuntiata a n t e posita videamus. Primo quem adferam loco logica ratione hoc fere dictum non est: tantis machinis quantas moveo eripiam, sed multo simplicius adhibita parataxi:

Mil. 813. quantas res turbo, quantas moueo machinas!
eripiam ego hodie concubinam militi,
si centuriati bene sunt manup[u]laris mei.

Similia prorsus hoc et proximum exemplum mihi videntur neque indefinitae rationi locum dare; ac ne id quidem quod deinde sequitur exemplum interrogativae explicationi dat repudium:

Mil. 1156. quod(! quantum!) apud noc fallaciarum sex situmst, certo scio,
oppidum quoduis uidetur posse expugnari dolis.

Ter. Heaut. 1000. quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio, adhuc quod(!) factumst,
miror non continuo me abripuisse: ad Menedemum hunc pergam.

dubius sequor Fleckeisenum; *miror non c. hunc adripuisse* cod.

Pseud. 318 BA tibi ego credam? PS. cur non? BA. quia pol qua (?!) opera credam tibi,
una opera alligem fugitivam canem agninis lactibus.

318 *operas* P. 319 *tactibus* A.

Hoc vero quod iam adferetur logica et grammatica ratione dictum fere esset: quod tot homines ducunt, fit concursus:

Epid. 210. EP. tum captiuorum quid ducunt secum: pueros, uirgines,
binos, ternos, alius quinque. fit concursus per uias:
filios suos quisque uisunt. PE. hercle rem gestam bene.
EP. tum meretricum numerus tantus quantum in urbe omni fuit,
obuiam ornatae occurrebant suis quaeque amatoribus:
eos captabant.

211. *quisque* Itali et editores. 214 *quaeque suis* Guietus, nescio an recte.

Hoc quoque ad exclamationem primitus referendum puto:

---

[1]) Hanc quoque vocem in relativum tamen genus interdum abiisse, sicut cetera illa, apparet Epid. 294 ego illum conueniam atque adducam huc ad te, quoiast fidicina, atque argentum ego cum hoc feram (294 pro *atque* Goetz *eamque, hunc ad eum* Ussing, *hunc ab te* Redslob.) Bacch. 948 is Helenam auexit, quoia causa nunc facio opsidium Ilio.

Asin. 95. DE. qua(!) me, qua uxorem, qua tu seruom Sauream
potes, circumduce, aufer: promitto tibi
non obfuturum, si id hodie effeceris.

Dura quae nunc est proximis locis constructio — neque enim est: iis dictis quibus est dignus, neque indefinitum adfingi potest — in interrogatione vel exclamatione vide quam videtur facilis et ex loquentis ore expressa:

Merc. 978. quibus (!) est dictis dignus, usque oneremus ambo.
Poen. 798. ⟨AG.⟩ quid nunc sceleste leno? ADV. quicum litigas(!)
apscessit. AG. utinam hinc ab⟨i⟩erit malam crucem.
quiquom codd.

Aul. 673. nunc hoc ubi apstrudam(?) cogito solum locum.
Cist. 579. LA. . 'auectast' inquit' peregre hinc habitatum'. ME. obsipat
aquolam. LA. quo auectast(?) eo sequemur.

Quid quis agat se ipsum interdum quasi interrogare, ut rem in animo revocet, antea vidimus; huius modi primitus fuisse videntur haec iam fortasse relativa; nisi forte concedas simplici homini convenire „alta voce cogitare“:

Merc. 803. era quo me misit(?) ad patrem, non est domi
Aul. 118. nunc quo profectus sum(?) ibo: postidea domum
me rursum quantum potero tantum recipiam.
post idem cod. emend. Camerarius.

Silich. 142. persequimur, nam quo dedisti nuptum(?!) abire nolumus.

Cum his comparandae sunt apertae illae interrogationes; in secundo pro *quot* exspectares: quia tot:

Rud. 492. quo malum properas, Labrax?
nam equidem te nequeo consequi tam strenue.
Ter. Ad. 92. hoc aduenienti quot mihi, Micio,
dixere! in orest omni populo.
Poen. 1253. nunc quod boni (quid boni!) mihi dei danunt uobis uostraeque matri,
eas deis est aequom gratias nos agere sempiternas,

Duras has vel tales quoque verborum constructiones haud infrequentes haud scio an meo iure exclamativas primitus fuisse dicam; nam his omnibus locis si *quid!* vel *quid*?! quod saepe per se solum dicitur, velis reponere, quo modo ortum hoc sit loquendi genus facile reperias, nisi *si quid* adfingas, id ipsum aliquando interrogativum: „hic quid“:

Ter. Eun. 785. sane quod (quid!) tibi nunc uir uideatur esse hic, nebulo magnus est: [1]
Rud. 1150. si hercle tantillum peccassis, quod(?!) posteri⟨u⟩s postules
te ad uerum conuorti, nugas, mulier, magnas egeris.
Asin. 796. quod illa autem simulet quasi grauedo profluat,
hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
potius quam quoiquam sauium faciat palam.

Hoc Bacchidum loco Chrysalus spectantes quid agatur longa solus oratione docet atque interrogando animis eorum hanc rem infigit:

Bacch. 941. tum quae hic sunt scriptae litterae(?), hoc in equo insunt milites
armati atque animati probe. ita res successit mi usque adhuc.

941 *insunt in equo* Guietus 942 *miliusque adhuc* P.

Ne hoc quidem ex indefinita, sed ex interrogativa sententia videtur aliquando esse profectum (quantula est mea sapientia? id iudices, verum):

Stich 119. PA. quanta mea sapientiast,
ex malis multis malum quod minumumst, id minumest malum.

minimam est posteriore loco P.

Adverbiale illud quoque enuntiatum aperte est interrogativum, etiam nunc ni fallor paratacticum:

Trin. 228. utram potius harum mihi artem expetessam,
utram aetati agundae arbitrer firmiorem,
amorin me⟨d⟩ an rei opsequi potius par sit,
utra in parte plus sit uoluptatis uitae
ad aetatem agundam,
de hac re mihi hau liquet:

230 *siet* P. 231 *uoluptati sit* P.

Dativo casui addi his locis videntur enuntiata interrogativa, sive ita exorta sive ita manserunt:

Ter. Phorm. 1026. exsequias Chremeti quibus(?) est commodum ire, em tempus est. [2]
Cas. 1017. verum qui(?!) non manibus clare quantum poterit plauserit,
ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea.

que P *proterit plus erit* P.

Genetivo casui:

---

[1]) Similia pauca attuli in Paratactica latina I p. 53.
[2]) Cfr Netušil in Archivo Woelffliniano 1892 VII p. 580 s.

Cas. 449. Ol. ut tibi ego inuentus sum obsequens. quod maxume
cupiebas(!) eius copiam feci tibi:
Rud. prol. 1. qui gentes omnes mariaque et terras mouet(!)
eius sum ciuis ciuitate caelitum.
2 *cuius* PCD.

Obiectum his enuntiatis definitur, quibus omnibus et variis interrogativam potius quam indefinitam originem equidem tribuendam censeo:

Amph. prol. 50. nunc quam rem oratum huc ueni, primum proloquar.
Ter. Phorm. 567. quid? qua(?) profectus causa hinc es Lemnum Chremes,
adduxtin tecum filiam?
Rud. 963. TR. uidulum istum quoius est, noui ego hominem iam pridem.
GR. quid est?
TR. et quo pacto periit. GR. at ego quo pacto inuentust scio,
et qui inuenit hominem noui et dominus qui nunc est scio.
cuiusne est cod. Lindsay haud male *quoiusnam est.*

Amph. 17. nunc quoius iussu uenio et quam ob rem uenerim(?)
dicam simulque ipse eloquar nomen meum.[1])
Asin. 621. patronus qui (qualis!) uobis fuit futurus, perdidistis.
Most. 505. quae hic monstra fiunt(?!), anno uix possum eloqui.
Truc. 157. male quae in nos ais(?!) ea omnia tibi dicis.
Ter. Ad. 86. nam illa quae antehac facta sunt(?!)
omitto: modo quid dissignauit? MI. quid nam id est?
DE. fores ecfregit atque in aedis inruit
alienas:
Amph. 587. nunc uenis etiam ultro inrisum dominum: quae(?!) neque fieri
possunt neque fando umquam accepit quisquam, profers, carnufex:

Et sic recte Lindsay distinxit:

Aul. 157. his legibus quam (uxorem) dare uis? cedo: nuptias adorna.

Comparanda haec sunt, partim dissimilia:

Amph. 905. quam (quam?! nisi me) tu inpudicam esse arbitrere et praedices,
cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
tibi habeas, nisi [si] sis stultior stultissumo.
Rud. 309. sed quos perconter(?), commode eccos uideo astare. adibo.
adibo Itali, *adito* cod.

Pseud. 825. quas herbas(!) pecudes non edunt, homines edunt.

---

[1]) de hoc loco cfr H. Lattmann Deutsche Litteraturz. XXX 1909 p. 1863. Eadem fere modorum diversitas est apud Petronium (100): per fidem, inquam, pater, cuius haec navis est, aut quos vehat, dicere potes?

Epid. 651. quid boni est(!) id tacitus taceas tute tecum et gaudeas.

quid B quam lectionem difficiliorem retinui, *quod* plerique et H. Lattmann Deutsche Litteraturz. XXX 1909 p. 1866.

Ex eo genere, quod supra tractavi (p. 20 s.), pauca hic addo exempla:

Merc. 783. dicam id quid est(?).

id om. P, *quid* G. et S., item Lindsay, *quod* mavult loc. com. H. Lattmann; hoc ipsum O. Seyffert et *dicam quid* antiquitus scriptum putat.

Cas. 287. CHA. quid uelis, modo id uelim me scire. LY. ausculta, ego ⟨e⟩loquar.[1]

miscere cod. emend. Merula. *eloquar* Mueller.

Merc. 886. maxume quod(!) uis audire, id audi⟨e⟩s:

audies Camerarius.

Merc. 565. DE. quid faciam? LY. quod opust facto(?), facito ut cogites.
DE. quid cogitem?
Cas. 100. quin potius quod legatum est tibi negotium(?),
id curas atque urbanis rebus te apstines.[2]
Ter. Haut. 329. tum quod (quantum?) illi argentum es pollicitus, eadem hoc inueniam uia.
Most. 1100. TR. quod agas, id agas: quid tu porro serere uis negotium?

uis serere cod. transp. Bothe.

Pers. 287. quod dicis(!) facere non quis.
Ter. Phorm. 946. quid uis tibi?
argentum quod habes (quantum habes?) condonamus te.
Trin. 630. LE. quod est facillumum(!) facis. LY. quid id est? LE. amico iniuriam.

De ipso se ipse interrogat qui loquitur his locis:

Amph. 425. nam quod(!) egomet solus feci nec quisquam alius affuit
in tabernaclo, id quidem hodie numquam poterit dicere
Cist. 759. quod quaeritabam(!) filiam inueni meam.
Mil. 749. nunc quod occepi opsonatum pergam.
Mil. 1200. PY. quod(!) uolui, ut(!) uolu⟨i⟩, impetraui per amicitiam et gratiam.

ut uolui Guietus, *ut volo* cod.

Ad spectatores haec et talia vertuntur nescio an interrogativo potius quam indefinito ortu nata:

---

[1]) De *id velim scire* et similibus cfr V. C:n Lindström Commentarii Plautini Holmiae 1907 p. 106.

[2]) hoc interrogari videtur, quo magis res animo audientis inculcetur; aliter W. Kroll Glotta 1910 III p. 2.

Cist. 188. nunc quod relicuom restat, uolo persoluere . . .
Cist. 786. nunc quod ad uos, spectatores, relicuom relinquitur:
more maiorum date plausum postrema in comoedia.

Restant quae sententiae interrogativae vel interrogativa origine plus minusve insignes subiecto alterius sententiae adnecti videntur. Primis locis aperta est interrogatio. Eunuchi Terentianae loco, si eum ipsum inspicias, quae attractio inversa multas et varias movit explicationes, ne dicam implicationes et philosophumena, illa aqua liquidius in duo enuntiata interrogativa et paratactica resolvitur. Itaque hoc loco Donatus aut syllepsin putat esse aut *quem* cum interrogatione pronuntiandum pro *qualem*.

Asin. 258. unde sumam? quem interuortam? quo hanc celocem conferam?
inpetritum, inauguratumst: quouis a<d>mittunt aues.
Men. 128. ubi sunt amatores mariti? dona quid cessant mihi
conferre omnes congratulantes, quia pugnaui fortiter?
Pseud. 179. natalem scitis mihi esse diem hunc: ubi isti sunt quibus uos oculi estis,
quibus uitae, quibus deliciae estis, quibus sauia, mamilla<e>, mellillae?
nanip[u]latim mihi munerigeruli facite ante aedis iam hic adsint.

180 *mamilla* P *mammia* Lindsay *mellitae* P 182 *usui* P.

Ter. Eun. 653. PY. rogas me? eunuchum quem (qualem?!) dedisti nobis quas turbas dedit?
Pers. 300. foris aperit, eccere autem
quem(!) conuenire maxume cupiebam egreditur foras.
Capt. 396. quae (! —) memini mora merast monerier.
Asin. 155. nec recte quae(?! vix indefinito languore dictum) tu in nos dicis, aurum atque argentum merumst.

Cetera sic disponam, ut *qui* pronominis nominativos, deinde accusativos adferam:

Bacch. 1055. edepol qui(?!) me esse dicat cruciatu malo
dignum, ne ego cum illo pignus haud ausim dare:
tantas turbellas facio.
Rud. 321. PI. cum istius modi uirtutibus operisque natus qui(?!) si[e]t,
eum quidem ad carnificemst aequius quam ad Venerem commeare . . .
vale. TR. valete; credidi: factumst quo<d> suspicabar:

Most. 1041. qui(!) homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. [1])
Poen. 210. AD. negoti sibi qui(!) uolet uim parare,
nauem et mulierem, haec duo comparato.
sibi duo Pylades, Spengel.

Asin. 601. qui(? !) sese parere apparent huius legibus, profecto
numquam bonae frugi sient, dies noctesque potent.
Epid. 17. EP. quid agis? perpetuen ualuisti. TH. varie. EP. qui(? !) varie valent
capreaginum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.
Poen. prol. 21. diu qui domi otiosi dormierunt(!), decet
animo aequo nunc stent uel dormire temperent.
Curc. 288. tum isti Graeci palliati capite operte qui(!) ambulant,
qui(!) incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
. . . quos(!) semper uideas bibentes . . . bibunt . . .
. . . incedunt: eos ego si offendero . . . [2])
288 *istic* cod. 294 *ego nunc* conicit Goetz.

Poen. 748. qui in re diuina dudum dicebant mihi
malum damnumque maxumum portendier(?),
is explicaui meam rem postilla lucro.
750 *explicauit* A.

Pseud. 790. forum coquinum qui (? vel indefinitum) uocant stulte uocant.
Curc. 679. argentariis male credi qui (! vel indefinitum) aiunt, nugas praedicant.
Ter. Hec. 241. et quae uobis placitast condicio(?) datur.
Rud. 1364. tua quae(!) fuit Palaestra, ea filia inuentast mea.
Rud. prol. 9. quist(!) imperator diuom atque hominum Iuppiter,
is nos per gentes alios alia disparat.
alius cod. *aliud* Seyffert.

Cas. prol. 9. nam nunc nouae quae prodeunt comoediae(? !)
multo sunt nequiores quam nummi noui.
Pseud. 430. nam istaec quae(!) tibi renuntiantur, filium
te uelle amantem argento circumducere,
fors fuat an istaec dicta sint mendacia.

Accusativus pronominis his locis est:

Amph. 402. ME. hic homo sanus non est. SO. quod(? !) mihi praedicas uitium, id tibist.
quid, malum, non sum ego seruos Amphitruonis Sosia?

---

[1]) Similia collegit G. Deecke De usu pronominis relativi et cet. Gotting. 1907 p. 61.

[2]) Nativam formam fuisse *tum qui isti Graeci* recte vidit F. Paetzolt De latini pronominis relativi syntaxi prisca Vratisl. 1873 p. 19.

Pseud. 440. nam tu quod damni et quod fecisti flagiti(?!)
populo uiritim potuit dispertirier.

Amph. 190. quod (oppidum!) multa Thebano pop[u]lo acerba obiecit funera,
id ui et uirtute militum uictum atque expugnatum oppidumst.

qui pro *quod* codd.

Mil. 205. quod agat(?) aegre suppetit.

agit A *acta* P.

Capt. 586. filium tuom quod (quid!) redimere se ait, id ne utiquam mihi placet.

Iam vero ad relativa vel, originem si spectes, interrogativa, post id enuntiatum, quod primarium perhibetur, posita, cum transimus, cavendum est ne quod post positum est, id minore ideo vi elatum putemus. Contrarium interdum fit in humano sermone, ut maior vis orationis tamquam reservetur in eum locum, qui est ultimus ante pausam syntacticam vel finem versus.

Hac quoque in parte disputationis ea quae ad adverbialia pertinent primum adferenda sunt. Atque in proximis exemplis tam laxus est conexus orationis, vix ut de relativo dici possit:

Ter. Heaut. 970. SY. disperii: scelestus quantas turbas conciui insciens!
Bacch. 1091. magis quam id reputo, tam magis uror, quae(?!) meus filius turbauit.

quem codd. *quae* recte Camerarius.

Ter. Eun. 144. nunc ego eam, mi Phaedria,
multae sunt causae, quam ob rem cupio abducere:
primum quod soror est dicta . . .

cupiam Fabia.

Curc. 172. hoc etiam est quam ob rem cupiam uiuere.

Comparandum est quod proxime antecedit:

Curc. 171. sane haud quicquamst magis quod cupiam iam diu.
Mil. 1077. PA. meri bellatores gignuntur, quas (quas! quales! quam felices!) hic praegnatis fecit.[1])
Capt. 420. uideas corde amare inter se: quantis laudauit
suom erum seruos collaudauit. PHIL. pol istic me haud centesumam
partem laudat quam ipse meritust ut laudetur laudibus.

420 *laudibus* B³ incerta in lectione eadem manet parataxis.

[1]) indefinitum censet W. Kroll Glotta III, quamquam recte monet primitus inversas esse sententias.

Mil. 492. metuo illaec mihi res ne malo magno fuat,
quantum(?) hunc audiui facere uerborum senem.
Mil 275. PA. hic illam uidit osculantem quantum(!) hunc audiui loqui.
loquere P.

Mil. 951. quin tu' tuam rem cura potius quam Seleuci, quae(!) tibi
condicio noua et luculenta fertur per me interpretem. [1]
tuta uam PCD *tuam* B.

Trin. 838. apage a me sis: dehinc iam certumst otio dare me: satis partum habeo,
quibus aerumnis deluctaui, filio dum diuitias quaero.
a om. P, *deinde hinc . . . me dare* P. *cum hisce* Non. pro *quibus*.

Bacch. 84. dato qui bene sit. ego ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.
Curc. 519. CV . . . ecquid das, qui bene sit? CA. malum. CV. tibi opust [hoc] qui te procures.
Ter. Adelph. 904. uerum hoc mihi moraest,
tibicina et hymenaeum qui cantent.
Capt. 721. HE. ergo ab eo petito gratiam istam. ducite,
ubi(!) ponderosas crassas capiat compedes:
istam gratiam cod. correxit Pylades.

Capt. 764. sequere hac: reducam te ubi (te; ubi?) fuisti.

Praeterea *ubi* particula iam antiquissimis temporibus videtur certa et loci et temporis vi fuisse praedita, quae utraque in significatione (ut apud italos) apud comicos demonstrativis adverbiis saepissime corroborata est extincta exclamandi ratione: *ibi ibidem ilico continuo simul statim iam tum extemplo.* Pauca tantum se ipsum interrogantis vel exclamantis vestigia suis locis a me adferuntur.

Cist. 623. ME. i nunciam istuc quo(?) properabas: nil moror.
nunc intellexi.
Capt. 108. nunc ad eum pergam. sed aperitur [h]ostium,
unde(!) saturitate saepo ego exii ebrius.
Bacch. 232. inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
unde aurum efficiam amanti erili filio.
Truc. 196. AST. horresco misera, mentio quotiens(!) fit partionis:
sentio P *quod diis* P.

Hoc qui sequitur loco pro *quid* repone *quod,* relativam quis grammaticus non dicat sententiam! Simillima ea sunt quae deinde adferentur ex interrogativo ortu explicanda. Medium quendam ob-

[1]) relativam sententiam in aperta parataxi statuit ut alii W. M. Lindsay Syntax of Plautus Oxford 1907 p. 43.

tinent nonnulla locum inter ea quae ad obiectum et ea quae ad adverbialia referenda sunt:

Ter. Eun. 245. quid? tu his rebus credis fieri? tota erras uia.
Amph. 522. IV. verum quod (quid!) tu dicis, mea uxor, non te mi irasci decet.
Ter. Phorm. 998. NA. non pol temerest, quod tu tam times.
CH. egon timeo? PH. recte sane: quando nil times, et hoc nil est quod ego dico, tu narra.
Pseud. 522. PS. uin etiam dicam quod uos magis miremini?
Bacch. 1072. sed, spectatores, uos nunc ne miremini
quod non triumpho: peruolgatumst, nihil moror:
Amph. 116. nunc ne hunc ornatum uos meum admiremini,
quod ego huc processi sic cum seruili schema:
Asin. 315. LI. ergo mirabar quod dudum scapulae gestibant mihi,
hariolari quae occeperunt sibi esse in mundo malum.
quidquid est, eloquere. LE. magnast praeda cum magno malo.

esse sibi Acidalius.

Bacch. 668.[1] numqui nummi exciderunt, ere, tibi,
quod sic terram optuere?
quid uos maestos tam tristisque esse conspicor?
Epid. 131. impetratumst: empta[st] ancillast, quod (quid aliud?) tute ad me litteras
missiculabas. STR. perdidisti omnem operam. EP. nam qui perdidi?

cfr L. Havet in Rev. phil. anc. 1909 XXXIII p. 15.

Asin. 46. DE. cur hoc ex te quaeram? aut cur miniter tibi
propterea quod me (sc. hoc) non scientem feceris?
aut cur postremo filio suscenseam,
patres ut faciunt ceteri. LI. quid istuc noui est?
demiror quid sit et quo euadat sum in metu.
DE. equidem, scio iam: filius quod amet meus
istanc meretricem e proxumo Philaenium.
estne hoc ut dico?

Antea Demaenetus promiserat se hoc quod de filia senis rogavisset Libanus servus se dicturum. Neque valde senex cupiebat hoc scire, quoniam intellegebat servum metuere ne filio suo suscenseret pater; hoc ipsum se timere dicit servus, mirari tamen et nescire quid esset. Cui Demaenetus: ego vero, inquit, iam scio: tu scire vis num suscenseam quod filius amet meretricem. Haec miror quan-

[1] cfr E. Wallstedt, Studia Plautina, Lundae 1909 p. 74.

tas moverint turbas et coniecturarum [1]) et interpretationum, maxime eorum qui *nisi quod amet* dicerent idem esse atque accusativum cum infinitivo.

Cum his potissimum illa comparaverim, subiecto adnectenda:

Bacch. 1098. hoc hoc est quod ⟨cor⟩ perac[c]escit, hoc est demum quod percrucior:
me hoc aetatis ludificari: immo edepol sic ludos factum,
cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum.

quo priore loco Ritschl. *cor* Seyffert addidit.

Cas. 532. hoc erat ecastor [id], quod me uir tanto opere orabat meus . . .

id quod cod. corr. Camerarius.

Asin. 864. ⟨ART.⟩ hoc ecastor est quod ille it ad cenam cottidie:
Cas. 460. ⟨CHA.⟩ illuc est, illuc, quod (quid!) hic hunc fecit uilicum.

Ex huius modi exemplis et ex *quid si* [2]) nescio an explicari possit *quod si* illud, quod posterioribus latinitatis temporibus vulgatissimum est. Et quandam praebet similitudinem illud quoque addubitatum *quod te oro* (Ter. Andr. 289), comparato praesertim Horatii loco, ut notissimum proferam, *quid dedicatum poscit Apollinem . . .?* Et conferas *scin quod te oro* similia.

Dativis haec applicantur, in quibus partim iam anacoluthon quoddam parataxin indicat interrogativam:

Curc. 588. Th. male vale, male sit tibi!
quid ego faciam? maneam an abeam? sicine mihi esse os oblitum!
cupio dare mercedem, qui(?) illunc ubi sit commonstret mihi.

589 *sublitum* haud male Ussing.

Rud. 1322. quid dare uelis qui(?) istaec tibi inuestiget indicetque.
Curc. 581. CA . . . ego illam reddidi (reddidi, qui?) qui argentum a te attulit.
TH. quis is est homo?
CA. tuom libertum sese aiebat esse Summanum. Th. meum?

esse aiebat sese transp. Camerarius.

Cas. 427. quid opus est, qui sic mortuos, equidem tamen
sorti sum uictus.

---

[1]) Simplicissima est Lindsayi *quid amet;* aliter nuperrime E. Löfstedt Phil. Komment. z. Peregrinatio Aetheriae Uppsala 1911 p. 117 s.

[2]) cfr Paratactica latina mea I p. 61. Aliter E. A. Saegert De usu pronominis relativi latini epexegetico Gryphiae 1860 p. 29.

Asin. 458. nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
suscenseat, qu<oi>(!) omnium rerum ipsus semper cre[di]dit.
credit Camerarius.

Men. 1011. eripe oculum istic, ab umero qui(?!) tenet, ere, te, opsecro.

Vivide hoc dicitur, non relative, nedum indefinite, item id quod sequitur:

Men. 1051. quin modo
eripui, homines qui(?!) ferebant te sublimen quat(t)uor,
apud hasce aedis tu clamabas . . .

1052 *quom* Ritschl. *te ferebant* cod. transp. Guietus.

Genetivis, quos sequi oportebat, simillima sunt, unde haec pendent, nisi exclamative dicta concedas:

Pers. 747. SA. tuan ego causa, carnufex,
quoiquam mortali libero auris atteram,
qui(?!) hic commercaris ciuis homines liberos?

Asin. 227. tua ista culpast, quae discipulum semidoctum aps te amoues.
vel *istaec* Lindsay.

Ad accusativos haec referenda sunt; de quibus quod ad alia quoque exempla pertinet hic monitum velim. Saepius antea *qui* pronominis exclamativam vim acrius intentam ut indicarem, explicandi causa eius modi addebam: qui alius?, qui nisi is? Hoc idem valet in *quin* (quî aliter?, quî nisi ita). Plautus ipse aperte tale quid dicit in solita interrogatione:

Amph. 744. quis igitur nisi uos narrauit mi, illi ut fuerit proelium?

Neque aliud cadere saepe in relativum quod habetur pronomen est quod mireris, quamquam id fere neglexerunt, qui aut ex indefinita origine egressi explicant relativa, aut qui interrogativam vim haud aliam admittunt quam quae nobis vulgata est, ubi quid directe sine modali vi quaeritur. Quae exempla cogito, haec certe non facile indefinitam rationem confirmant.

Pseud. 702. PS. magnufice hominem compellabo. CA. quoia uox resonat? PS. io,
io, te te turanne, te rogo qui (qui nisi tu!) imperitas Pseudolo.
quaero quoi ter trina triplicia tribus modis tria gaudia
artibus tribus ter demeritas dem laetitias

E. Wallstedt Studia Plautina, Lundae 1909 p. 74 proponit: io te, te turanne, te ego, te qui imperitas.

Asin. 420. apscede [h]ac sine me hunc perdere, qui(?!) semper me ira incendit,
quoi(?!) numquam unam rem me licet semel praecipere furi,
Merc. 272. profecto ego illunc hircum castrari uolo,
ruri qui(?!) uobis exhibet negotium.
Merc. 144. apage istiusmodi salutem, <cum> cruciatu quae(?!) aduenit.

cum add. Pylades.

Rud. 1179. age eamus, mea gnata, ad matrem tuam.
quae (! nisi ea) ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere:
quae (! nisi ea) te magis tractauit magisque pernouit tua.
Cas. 193. quin mihi ancillulam ingratii<s> postulat,
quae(!) meast, quae(!) meo educ[a]ta sumptu siet, ...

educata cod.

Amph. 730. AL. equidem ecastor sana et salua sum. AM. cur igitur praedicas
te heri me uidisse, qui(!) hac noctu in portu aduecti sumus?

His duobus locis facilius indefinita quam interrogativa origo agnoscitur, in tertio contrarium videtur rectius fieri, nisi quod Ter. Hec. 363 alterum iam *partim quae* attenuata et fortasse indefinita ratione explicandum est:

Poen. 950. HA. deos deasque ueneror qui hanc urbem colunt,
Amph. 966. IV. ego rem diuinam intus faciam, uota quae sunt.[1]) SO. censeo.
Ter. Hec. 361. nequeo mearum initium ullum inuenire idoneum
unde exordiar narrare, quae(!)necopinanti accidunt;
partim quae perspexi hisce oculis, partim percepi auribus:
qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

quae partim Fleckeisen.

In his exemplis, primo praesertim, primitiva vis videtur mansisse indignantis vel exclamantis:

Pseud. 550. PS. at nunc disturba quas(?!) statuisti machinas.
CA. nunc non abire certumst ictac gratia:
Amph. 676. AM. Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,
quam (! nisi eam) omnium Thebis uir unam esse optumam diiudicat,
quamque adeo ciues Thebani uero rumiferant probam.
Capt. 707. at erum seruaui, quem seruatum gaudeo(!),
quoi me custodem addiderat erus maior meus(!).

---

[1]) De plurali numero cfr Aem. Schmidt, De poetico sermonis argenteae latinitatis colore, dissert. Vratislav. 1909 p. 52.

Cas. prol. 13. anticuam eius edimus comoediam,
quam (quam?—) uos probastis qui estis in senioribus:
Capt. 872. nunc hanc laetitiam accipe a me quam fero(!): nam filium
Mil. 319. Philocomasium eccam domi, quam(! nisi eam) in proxumo
vidisse ai[e]bas te osculantem atque amplexantem cum altero.
aleuas cod. *aiebas* B2

Epid. 472 heus foras educite
quam(?! „was für eine") introduxistis fidicinam.
Bacch. 265. NI. quid, ubi ei ostendit symbolum? CH. infit dicere
adulterinum et non eum esse symbolum:
quotque(?! in parataxi) innocenti ei dixit contumelias.
Ter. Eun. 945. PY. miseret me: itaque ut ne uiderem, misera huc ecfugi foras,
quae(?!) futura exempla dicunt in eum indigna. PA o Iuppiter,
quae illaec turbast? numnam ego perii? adibo. quid istuc, Pythias?
quid ais? in quem exempla fient? PY. rogitas, audacissume?
Pseud. 1187. HA ... quid somniatis? mea quidem haec habeo omnia,
meo peculio empta. BA. nempe quod(?!) femina sustinent.
1187 *equidem* cod. 1188 *quid* B *sustinet* P.

Men. 720. nam med aetatem uiduam esse mauelim
quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis(?!).
med a te B2 *usque esse* Rebslob.

Similia haec sunt frequentissima, ubi assumpta indefinita ratione nolim tamquam castrari vim orationis:

Men. 734. MA. ne istuc mecastor, iam patrem accersam meum
atque ei narrabo tua flagitia quae facis.
enarrabo PCD.

Bacch. 481. nam alia memorare quae illum facere uidi dispudet:
Asin. 558. edepol uirtutes qui tuas non possis collaudare
sicut ego possim, quae(?!) domi duellique male fecisti.
qui uirtutes Goetz *non* Gertz *nunc* cod.

Ter. Haut. 953. non, ita me di ament, auderet facere haec uiduae mulieri,
quae(?!)in me fecit.
Bacch. 379. neque mei neque te tui intus puditumst factis quae(?!) facis.
Aul. 222. nam de te neque re neque uerbis merui, ut faceres quod facis.
Cas. 996. LY. te quidem oppresset. feci ego istaec dicta quae(?!) uos dicitis?
prius Olympioni tribuunt G. et S.

Amph. 889. aut satis faciat mi ille atque adiuret insuper,
nolle esse dicta quae(?!) in me insontem protulit.

Pseud. 972. SI. pauci istuc faciunt homines quod(!)tu praedicas:
nam in foro uix decumus quisquest, qui ipsus sese nouerit.
quisquis est P. *se* A.

Finalis in his significatio ad interrogationem coniunctivam adnexa est:

Most. 62. GR. eruom daturi[n] estis, bubus quod feram?
seruom cod.

Cas. 251. relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.

Maior rursus vis exclamandi, primigenia certe, elucet in iis quae sequentur exemplis minime indefinitis:

Amph. 1028. AM. verbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum Acheruns?
quem(quem nisi te!) pol ego hodie ob istaec dicta faciam feruentem flagris.

Ter. Eun. 704. PH. age nunc, belua.
credis huic quod(?!)dicat? PY. quid isti credam? res ipsa indicat.
beluae Fleckeisen.

Truc. 828. mihique ignoscas, quod(?!)animi inpos uini uitio fecerim.

Post accusativos *qui* pronominis pauciora haec adferam:

Men. 361. animule mi, mihi mira uidentur
te hic stare foris, fores quoi(! nisi tibi) pateant . .

Laxiora in his orationis vincula excusat exclamativa origo:

Bacch. 601. PI. dic mihi. quis tu's? PA. illius sum integumentum corporis.
PI. nequam esse oportet quoi(?!)tam integumentum inprobu<m>st.
cui tu integ. improbus es PBC emend. Bothe. *scutum integ.* Lindsay.

Amph. prol. 132. cubat complexus, quoius(?!) cupiens maxumest.

Simile est addito tamen *ei* sicut in Captivorum loco *illi:*

Cas. 282. stultitiast ei te esse tristem quoius(!) potestas plus potest.
Trin. 952. ne tu me edepol arbitrare beluam
qui quidem non novisse possim, quicum(! nisi cum illo) aetatem exegerim.

Cum his comparandum illud:

Capt. 719. ut melius consulerem tibi,
quam illi, quicum aetatem . . . exegeram.
Aul. 785. ut illum di immortales omnes deaeque quantumst perduint,
quem(?!) propter hodie auri tantum perdidi infelix miser.

Finalia haec rursus sunt, primitus interrogativa:

Poen. 693. ego id quaero hospitium ubi(?) ego curer mollius . . .
hostium P.

Poen. 1264. ADE. vix hoc uidemur credere. HA. magis qui(?) credatis, dicam.

Capt. 35. hisce autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
quo pacto(?) hic seruos suom erum hinc amittat domum:

Tres hic pro obiecto apponuntur interrogationes:

Amph. 104. nam ego uos nouisse credo iam ut sit meus pater,
quam liber harum rerum multarum siet
quantusque amator si[e]t quod complacitumst semel.

Venio nunc ad relativa vel interrogativa post posita, quae subiectum antecedentis enuntiati spectant, hoc ordine: quae pronominis *qui* nominativo accusativo dativo et genetivo vel adverbiali ratione inducuntur. Primi generis, nominativi, equidem plurima adnotavi exempla.

Men. 309. CY. insanit hic[e]quidem, qui(?!) ipse male dicit sibi.
quidem Bentley. *ipse* Itali, *id se* cod.

Pers. 845. TO. quid ais? SA. hic[s]in[e] Dordalus est leno, qui(?!) hic liberas uirgines mercatur?
hic[c]inest, qui fuit quondam fortis? DO. quae haec res est? ei, colapho m⟨e⟩ icit.
agis cod. *hicin* Schoell.

Amph. 506. ME. nimis hic scitust sycophanta, qui quidem meus sit pater.

Asin. 603. LE. ne iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit,
qui(?!) nunc festinat atque ab hac minatur sese abire.

Rud. 1113. quid, istae mutae sunt, quae(!) pro se fabulari non queant?
TR. eo tacent, quia tacitast bona mulier semper quam loquens.

Ter. Hec. 469. LA. at istos inuidos di perdant, qui(?!) haec lubenter nuntient.

Amph. 287. SO. ubi sunt isti scortatores, qui soli inuiti cubant?
haec nox scitast exercendo scorto conducto male.

Ex plurimis huius quod sequitur generis pauca satis habeo adferre; hic indefinitiva ratio fere omnis exclusa est:

Fragm. 21. I PARASITVS. ut illum di perdant primus qui(?!) horas repperit
quique adeo primus statuit hic solarium:
qui mihi comminuit misero articulatim diem.

Men. 451. qui illum dei omnes perduint, qui primus ⟨hoc⟩ commentus est.

que vel *quo* initio codd. *hoc* add. Vahlen, Lindsay *commenta* PA, *commentust male* Ritschl.

Poen. 449. LY. di illum infelicent omnes qui post hunc diem
leno ullam Veneri umquam immolarit hostiam,
quiue ullum turis granum sacruficauerit.

449 de hoc versu cfr W. L. Keep in University of California publications in Classical philology 1911, II p. 164. 451 *qui* A.

Capt. 909. Diespiter te deique, Ergasile, perdant et uentrem tuom
parasitosque omnis et qui posthac cenam parasitis dabit.

Exclamativa haec quoque primitus certe puto:

Mil. 65 ne illae sunt fortunatae quae(!) cum isto cubant!
Mil. 58. amant te omnes mulieres ...
uel illae quae here pallio me reprehenderunt
Men. 373. ME. certo haec mulier aut insana aut ebriast, Messenio,
quae hominem ignotum conpellet me tam familiariter.
Rud. 545. LA. quaenam ballaena meum uorauit uidulum,
aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit?
CH. eadem illa credo quae(!) meum marsuppium,
quod plenum argenti fuit in sacciperio.

Nisi *si quis* his adfingas, praestat interrogativa origine uti:

Capt. 461. miser homost, qui(!) ipse sibi quod edit quaerit et id aegre inuenit,
sed illest miserior, qui et aegre quaerit et nihil inuenit.
ille miserrumust, qui, quom esse cupit, ⟨tum⟩ quod edit non habet

tum add. Niemeyer Lindsay.

Aperte exclamativa haec quoque sunt, quamvis durius primae personae praedicatum videatur:

Merc 588. summe ego homo miser, qui(!) nusquam bene queo quiescere? [1]
Pseud. 908. sed ubi illic est? sumne ego homo insipiens, qui haec mecum egomet loquar solus?

quid P, *loquor* Camerarius, Morris.

Most. 362. sed ego sumne infelix qui non curro curriculo domum?
Men. 443. sed ego inscitus qui domino me postulem moderarier.

quid rome cod. correxit Bothe.

---

[1]) De his cfr E. Kellerhoff in Studemundi Studiis II Berl. 1891 p. 54, W. Guthmann Ueber eine Art unwilliger Fragen im Lateinischen Nürnberg 1891 p. 29 s., H. Ottenjann De vocum encliticarum apud Plautum collocatione, Monasterii 1910 p. 38, J. Marouzeau, La phrase à verbe „être" en latin, Paris 1910, p. 80.

Merc. 920. ego stultior
qui isti credam (cfr Ter. Hec. 564).
Men. 904. sed ego stultus sum, qui illius esse dico quae meast. [1]

Amph. 434. SO. tu negas med[e] esse? ME. quid ego ni negem, qui egomet siem?

Secundae personae haec sunt exempla:

Most. 194. stulta es plane
quae illum tibi aeternum putes fore amicum et beneuolentem. [2]
putas P^{CD}.
Rud. 104. sed utrum tu ⟨m⟩asue an feminas, qui illum patrem uoces?
Aul. 628. EVC. i foras, lumbrice qui sub terra erepsisti modo,
qui modo nusquam comparebas: nunc quom compares peris.
i add. Lambinus. *comparabas* cod.

Aul. 437. etiam rogitas, sceleste homo, qui angulos omnes
mearum aedium et conclauium mihi peruium facitis.
quine Hermann.

Aul. 551. EVC. quid sit me rogitas? qui mihi omnis angulos
furum inpleuisti in aedibus misero mihi:
qui mi intromis[is]ti in aedi[bu]s quingentos cocos . . .
aedis Pylades; Leo: qui angulos in omnis; S. Sudhaus Der Aufbau der plautinischen Cantica, Leipzig 1909, p. 88: qui usque angulos omnis.

Truc. 930. STRAT. qui malum, bella aut fac[i]eta's[t], quae ames homine⟨m⟩ isti modi?
faceta es Pius.

Cas. 644. iam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu,
ludibrio, pessuma, adhuc quae me habuisti.

Hic commemorare libet quae de Vergilii eclog. III 50:
audiat haec tantum — vel qui uenit(?) ecce Palaemon.

adnotavit Servius: *vel* quasi r e q u i r e n t i s est, cum subito Palaemon adveniat; alii distinguunt *vel qui venit.* Ea postea sic in scholiis Bernensibus mutata sunt: audiat quem casus obtulerit, vicinus noster; *qui* aliquis. [3]) Hic igitur habes progredientium ex interrogativa atque vividiore explicatione ad indefinitam exemplum luculentum.

---

[1]) Plura praebet E. Melander, De verborum apud Plautum et Terentium ellipsis usu, Lundae 1910 p. 13 s.

[2]) Huius modi dicta quae plurima sunt ex interrogationibus orta esse consentit R. Methner, Bedeutung und Gebrauch des Konjuktivs etc. Berlin 1911, p. 21.

[3]) Cfr H. Hagen in Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica atque Georgica Lipsiae 1867 (ex Annal. philolog. supplem.).

His autem locis facilius indefinitam rationem admiserim, quamquam animi quaedam elati, indignantis aut saltem mirantis, interrogationem potius praebent; modo ordinem sententiarum hic, ut alias saepe, invertas:

Trin. 909. non placet qui(!?) amicos intra dentes conclusos habet.
concluso cod.

Truc. 602. num, opsecro, nam ⟨h⟩ariolus⟨t⟩, qui(!) ipsus se uerberat?
Pers. 762. nam improbus est homo, qui(?!) beneficium scit accipere et reddere nescit.
sumere pro *acc.* PCD.

Asin. 861. PA. ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus:
verum hoc facto sese ostendit, qui quidem(?!) cum filio
potet una atque una amicam ductet, decrepitus senex.
Amph. 289. ME. meus pater nunc pro huius uerbis recte et sapienter facit,
qui (quidem!) conplexus cum Alcumena cubat amans, animo opsequens.
Stich. init. Credo ego miseram fuisse Penelopam, soror, suo ex animo,
quae (— quae!) tam diu uidua viro suo caruit. nam nos . . .
Amph. 404. nonne hac noctu nostra nauis ⟨huc⟩ ex portu Persico
venit, quae (? —) me aduexit? nonne me huc erus misit meus?
huc Pylades add. *non* Lindsay.

Haec uno loco adfero; in quibus, nisi forte in tertio, indefinitam originem non concesserim:

Mil. 155. hic illest lepidus quem(?) dixi senem.[1])
Curc. 433. ut ei detur quam(?) istic emi uirginem . . . et aurum et uestem.
Truc. 275. pignus da, ni ligneae haec sint, quas(?) habes Victorias.
dixit senex P.

Ter. Eun. 288. facete dictum: mira vero militi quae placent
Stich. 210. ita me mancupia miserum adfecerunt male:
potationes plurumae demortuae:
quot adeo cenae quas defleui mortuae,
quot potiones mulsi, quae autem prandia,
quae inter continuom perdidi triennium.
213 pro *quae* P *quod*, *quot* Skutsch.

Accusativum pronominis haec praebent, quae optime partim illustrantur interrogativa vel explicatione vel origine assumpta:

---

[1]) Attractionem casus statuit inter alios W. M. Lindsay, Syntax of Plautus Oxford 1907 p. 7, his et huius modi locis. Prima duo se ipsum de ipso interrogantis sunt, cfr supra p. 19 s.

Amph. 1046. qui me Thebis alter uiuit miserior? quid nunc agam?
quem (— quem!) omnes mortales ignorant et ludificant ut lubet.

Asin. 521. CL. quid ais tu, quam(!) ego unam uidi mulierem audacissumam?

Bacch. 170. erilis patria, salue, quam(!) ego biennio
postquam hinc in Ephesum abii conspicio lubens.

abiui Lindsay vix recte.

Pseud. 688. di immortales, aurichalco contra non carum fuit
meum mendacium, hic modo quod(!) subito commentus fui,
quia lenonis me esse dixi.

Rud. 978. nam si istuc ius sit quod(!) memoras, piscatores perierint.

Truc. 954. STRAT. ubi est quod tu das?

In his memorabile est *quid* primo loco prius neque relative positum:

Truc. 957. STRAB. quid dedi! ut discinxi hominem!

Cas. 880. ita ridicula auditu iteratu ea sunt, quae(!) ego intus turbaui.

Rud. 563. LA. opsecro hercle, adulesceus, ubi istaec sunt, quas(!) memoras milieres?

Truc. 794. DI. [T]uae misero mihi:
mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speraui fore.

uae Merula, *mihi* Itali, *nisi* cod.

Primo dativi loco laxatis admodum sententiarum vinculis parataxis elucet interrogativa:

Aul. 188. EVC. anus hercle huic indicium fecit de auro: perspicue palamst.
quoi(?!) ego iam linguam praecidam atque oculos effodiam domi.

Asin. 593. AR. salue. PH. saluere me iubes, quoi(!) tu abiens offers morbum?

cui superscr. cod.

Cas. 617. qua ego hunc amorem mi esse aui dicam datum
aut quid ego umquam erga Venerem inique fecerim,
quoi(!) sic amanti mi obuiam eueniant morae, attat,
quid illuc clamoris, opsecro, in nostrast domo?

617 *quod* codd., defendit Thulin De coniunctivo Plautino p. 157, *quid* Gronovius, cfr L. Havet Rev. phil. . . anc. Paris 1904 p. 147.

Aul. 731. EVC. immo ego sum [miser], et misere perditus,
quoi tanta mala maestitudoque optigit. LYC. animo bono's.

miser sustulit Acidalius.

Una haec ponantur:

Asin. 79. is me dignum cui concrederet habuit.

Ter. Andr. 230. nec satis digna (est mulier) quoi committas primo partu mulierem.[1])

Stich. 205. eos omnis tam etsi hercle haud indignos iudico
qui multum miseri sint, laborent, nil moror.

eo P *indicio* P *sunt* P.

Amph. 537. AL . . . ecastor condignum donum, qualest qui donum dedit
ME. immo sic condignum donum, qualest qui dono datu<m>st.

537 *edepol* Nonius.

Interruptum alterius verbo est iam fere hypotacticum — in genetivis exemplis acrior est exclamantis vis, ni fallor —:

Ter. Phorm. 504. PH. o fortunatissime Antipho. AN. egone? PH. quoi quod amas domist,
neque cum huius modi umquam usus uenit ut conflictares malo.

neque huius modi tibi us. uen. umq. ut c. m. Havet; cod. defendit A. Papla, Quaestiones Terentianae Bielitz 1908 p. 18 s.

Mil. 1081. perii, quot hic ipse annos uiuet, quoius(!) filii tam diu uiuont?

uiuit L. Havet in Revue de philol. etc. anc. XXXIII 1909 p. 228.

Capt. 1009. PHIL. salue, Tyndare. TYN. et tu, quoius (! nisi tua) causa hanc aerumnam exigo.

Epid. 715. EP. maxuma hercle iniuria
vinctus adsto, quoius (! nisi mea) haec hodie opera inuentast filia.

Adverbialia haec demum adferam; primo loco ordo inversus est sententiarum:

Aul. 184. non temerarium est, ubi(!) diues blande appellat pauperem.

Mil. 377. nimis mirumst facinus quo modo haec hinc huc transire potuit.

miserum est A *potuerit* P.

Mil. 418. sed facinus mirumst, quo modo haec hi<n>c hu[n]c transire potu[er]it.

codicum verba corr. Ritschl.

His absolutis ea addam quae et ante relativam vel interrogativam sententiam et post eam posita videntur. In primo autem exemplo *ubi* est fere „wo nicht!“

Asin. 557. LI . . . qui mest fortior ad sufferundas plagas?

---

[1]) Plura Terentiana exempla *dignus indignus idoneus* ita positorum adfert H. Bléry Syntaxe de la subordination dans Terence, Paris sine anno (1909?) p. 78 s.

LE. edepol uirtutes qui tuas nunc possis conlaudare,
sicut ego possim, quae domi duellique male fecisti?
ne illa edepol pro merito [nunc] tuo memorari multa possunt:
ubi fidentem fraudaueris, ubi ero infidelis fueris,
ubi uerbis conceptis sciens lubenter periuraris,
ubi parietis perfoderis, in furto ubi sis praehensus.
ubi saepe causam dixeris pendens aduorsus octo
artutos audacis uiros, ualentis uirgatores.
LI. fateor profecto ut praedicas, Leonida, esse uera:
verum edepol ne etiam tua quoque malefacta iterari multa
et uero possunt: ubi sciens fideli infidus fueris,
ubi prensus in furto sies manufesto et uerberatus,
ubi periuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
ubi eris damno, molestiae et dedecori saepe fueris,
ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris,
ubi amicae quam amico tuo fueris magis fidelis,
ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo
validos lictoris, ulmeis adfectos lentis uirgis.

558 *nunc* cod. G. et S. Gertz, Lindsay.

Mil. 736. PE. qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit,
quique eos uituperet. nunc [iam] istis rebus desisti decet:

concilia culpe . . . insictusque . . . quidque P *iam* om. A *isti* P.

Bacch. 121. PI. an non putasti esse umquam? o Lyde, es barbarus:
quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem,
is stultior es barbaro poticio,
qui tantus natu deorum nescis nomina.

Aul. 462. velut⟨i⟩ Megadorus temptat me omnibus miserum modis:
qui simulauit mei honoris mittere huc causa coquos:
is ea causa misit hoc qui subriperent misero mihi.

Most. 354. ecquis homost, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
qui hodie sese excruciari meam ui⟨cem⟩ possit pati?
ubi sunt isti plagipatidae ferritribaces uiri
vel isti, qui hosti⟨ca⟩s trium numm[or]um causa subeunt sub falas,
ubi aliqui quique denis hastis corpus transfigi solet?
ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:

358 *uel* B^1 pro *ubi, ubi alii qui d . . . solent* Bugge, *ubi quinis aut d.* Leo, fortasse *ubi aliquis cui denis.*

Mil. 1050. ut, quae te cupit, eam ne spernas
quae per tuam nunc uitam u⟨i⟩uit: sit necne sit spes in te unost.

ut cui cod. *uiuit* Pius, *uult* cod., *nec* B.

Trin. 320. [PH.] is probust, quem paenitet quam probus sit et frugi bonae:
qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonae:

qui ipsus se contemnit, in eost indoles industriae:
benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Asin. 527. illos qui dant eos derides: qui deludunt deperis.

de *illi* cogitat Lindsay; *deperis* Camerarius, *dederis* cod.

Asin. 323. LE. em ista uirtus est, quando usust qui malum fert fortiter.
fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum. [1])

istaec Lindsay.

Bacch. 991. NI. euge litteras minutas. CH. qui quidem uideat parum:
verum qui satis uideat, grandes satis sunt. NI. animum aduortito igitur.

Indefinitum *qua qua* esse putant, si originem spectant; primum tamen exemplum interrogative potest explicari: [2])

Asin. 96. qua(!) me, qua uxorem, qua tu seruom Sauream
potes, circumduce, aufer

Mil. 113. qui consectare qua maris qua feminas; quocum cfr:

Most. 1047. omnem legionem et maris et feminas.

Trin. 1044. rapere properant qua sacrum qua publicum

Mil. 1392. eum oderunt qua uiri qua mulieres.

Quae sequentur exempla partim plus partim minus sunt implicata turbato sententiarum solito ordine; neque tamen interrogativa origo ubique obscurata est:

Bacch. 107. simul huic nescio cui, turbare qui(?!) huc it, decedamus.

qui pro *cui* codd. emendavit Vahlen; cfr. Leo, Hermes 1911 XLVI, p. 292.

Ter. Ad. 554. SY. non hercle hic qui uolt durare quisquam, si hic fit, potest.

Bacch. 863. CL. tum illam quae(?!) corpus publicat uolgo suom
faxo se haud dicat nactam quem derideat.

illaec Bach.

Mil. 312. non ego possum quae(?!) ipsa sese uenditat tutarier.

issa cod.

Ter. Hec. 405. lacrumo, quae(!) posthac futurast uita quom in mentem uenit
solitudoque. o fortuna, ut numquam perpetuo es bona!

Poen. 373. [AD.] quin adire sinis? quin tibi qui bene uolunt (hoc attende!) bene uis item?

Capt. 907. nunc ibo, ut pro praefectura mea ius dicam larido,
et quae(!) pendent indemnatae pernis auxilium ut feram. [3])

pernis A, G. & S., *pernae, is* Lindsay.

---

[1]) Posteriorem versum ex indefinita ratione explicat W. Kroll Glotta III p. 10.

[2]) Cfr Wackernagel in Archivo Woelffliniano 1907 XV 213 p.

[3]) *quae* indefinite accipit W. Kroll (Glotta III p. 10), nec valde repugno.

Pseud. 404. nunc ego poeta fiam: uiginti minas,
quae(!) nunc nusquam sunt gentium, inueniam tamen.
minae P.

Asin. 18. ita ted obtestor per senectutem tuam
perque illam quam (— quam!) tu metuis uxorem tuam.
Merc. 936. ⟨CHA.⟩ nam hic quod dixit(?!) id mentitust. EV. vera dixi equidem tibi.
pro *hic* PCD *id.*

Capt. 548. ne tu quod istic fabuletur(?!) auris immittas tuas.
Rud. 1397. gratiam habeo et de talento nulla causast quin feras,
quod isti sum iuratus.

Quocum hoc velim conferas proximum:

Rud. 1376. DAE. Gripe, quod tu istum talentum poscis? iuratust mihi dare . . .
Amph. prol. 38. nunc iam huc animum omnes quae(?) loquar aduortite.
pro *omnes* PE *ad ea.*

Rud. 782. LA. ego quae tu loquere(?!) flocci non facio, senex.
Most. 416. sicut ego ecficiam, quae facta hic turbauimus,
profecto ut liqueant omnia et tranquilla sint.
turbabimus cod.

Amph. 817. AL. quid ego tibi deliqui, si quoi (alii!) nupta sum tecum fui?
Pseud. 351. quid ais, quantum terra tetigit hominum periurissume?
tegit P *terram* Geppert, Goetz et Schoell; *in terra repit* S. Eitrem in Mindeskrift over Sophus Bugge p. 127 s.

Capt. 835. ERG. oh mihi,
quantumst(!) hominum optumorum optume, in tempore aduenis.
ad me aduenis mavult Lindsay.

Cist. 61. quid dicam, nisi stultitia mea me in maerorem rapi[t]?
GY. indidem unde(?) oritur facito ut facias stultitiam sepelibilem.
Bacch. 820. terrae odium ambulat: iam nihil sapit
nec sentit: tantist quantist(!) fungus putidus.
terrai iam (Leo) Lindsay.

Commoti animi vel laxae saltem sententiae haec sunt quae sequentur exempla, partim certe interrogative vel potius exclamative explicanda:

Pers. 782. vehic[u]lum argenti miser eieci amisi, neque
quam ob rem eieci habeo.
amisi tollit Acidalius.

Pers. 478. nec metuo, quibus(!) credidi hodie, ne quis mihi in iure abiurassit.
Men. 966. MES. spectamen bono seruo id est, qui(?) rem erilem
procurat, uidet, collocat cogitatque, ut . . .
Ter. Hec. 608. istuc est sapere, qui, ubi quomque opus sit, animum possit flectere.
Ter. Haut. 204. nam parentum iniuriae
unius modi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis.
Ter. Phorm. 1009. an quicquam hodiest factum indignius?
qui(?!) mi, ubi ad uxores uentumst, tum fiunt senes.
Capt. 165. ⟨ERG.⟩ ut saepe summa ingenia in occulto latent:
hic qualis imperator nunc priuatus est.

Dubia haec ultima posui, quorum tamen nonnulla ex iis quae iam interrogativa ratione nisi tractavimus aliquam lucem nescio an sibi ferant:

Ter. Eun. 211. ego quoque una pereo, quod mi est carius:
Epid. 638. EP. non me nouisti? TE. quod quidem (quid aliud?) nunc ueniat in mentem mihi.
Men. 500. non edepol ego te, quod (quid aliud?) sciam, umquam ante hunc diem
uidi . . .
Pseud. 566 . . . atque etiam certum quod sciam,
quo id sim facturus pacto nil etiam scio . . .
id om. P.

Men. 1106. nil reticebo quod sciam.
Men. 503. uigilo hercle equidem quod sciam (et sic saepe). [1]
Capt. 474. ipsi obsonant, quae (quae! nisi ea) parasitorum ante erat prouincia:
Cas. 261. LY. quid iam? CL. quia, si facias recte aut commode,
me sinas curare ancillas: quae meast curatio.
certe codd.

Summa vi haec proferuntur, non aliquid mali proponitur, sed quale vel quantum malum instet, id quaeritur:

Most. 655. malum quod isti di deaeque omnes duint!
ita mea consilia perturbat paenissume. [2]

Conferas velim:

Cas. 609. quin hercle di te perdant postremo quidem.

---

[1]) Aliter R. Methner Bedeutung und Gebrauch des Konjunktivs et cet. Berlin 1911, p. 59.

[2]) huius modi exempla W. Kroll (Glotta III p. 3) indefinita adhibita significatione explicat.

Indefinitam in his rationem qui tuetur post posito *quod,* exclamativam pronominis *qui* sicut particularum *qui ut quin* vim in simillimis enuntiatis oportet neglegere.

Amph. 563. malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie dabo.
Pseud. 1130. malum quod tibi di dabunt; sic scelestu's.
si A *nisic* P; male Lindsay conicit *dabunt sic.*

Aliquam cum his similitudinem praebent nota illa, ex antiquis et sollennibus ni fallor formulis a Plauto repetita; primitus fortasse fuit: qualis haec res fiet!

Capt. 361. quae res bene uortat mihi meoque filio
uobisque, uolt te nouos erus operam dare . . .
Trin. 499. PH. sine dote posco tuam sororem filio
quae res bene uortat — habeon pactum? quid taces?
ST. pro di immortales, condicionem quoius modi!
PH. quin fabulare — uin? — bene uortat, spondeo!
Ibid. 572. quid istic! quando ita uis: di bene uortant, spondeo.
Pers. 329. (in actus initio) Quae res bene uortat mihi et tibi et uentri meo . . .
Curc. 728. hodie fiunt nuptiae.
quae res bene uortat mi et uobis! spectatores plaudite (cfr Asin. 2).
Curc. 273. CA . . . ibo atque orabo. CO. quae res male uortat tibi! cfr Ter. Phorm. 678.
Aul. 787. LYC. bono animo's [et] benedice: nunc quae res tibi et gnatae tuae
bene feliciterque uortat:[1]) ita di faxint, inquito.
EVC. ita di faciant. LYC. et mihi ita di faciant. audi nunciam.
et ante *bened.* sustulit Pylades.

Aul. 217. EVC. quid nunc me uis? MEG. quoniam tu me et ego te qualis sis scio:
quae res recte uortat mihique tibique tuaeque filiae,
filiam tuam mi uxorem posco: promitte hoc fore.
Cas. 381. CLE. nullast: habe quietum animum modo.
OL. quod bonum atque fortunatum [tuum] sit mihi. CHA. magnum malum —
quid cod. corr. Camerarius. *tuum* Guietus sustulit.

---

[1]) *quod bene feliciterque eveniret precat* Petronius 117.

Simile est praecedente etiam interrogatione:

Aul. 147 ME quid id est, soror. EVN. quod tibi sempiternum salutare sit: liberis procreandis . . (cfr Cas. 382, 402, Amph. 461)

Conferas illud velim:

Aul. 271. filiam despondi ego: hodie huic nuptum Megadoro dabo.
STA. di bene uortant: uerum ecastor non potest: subitumst nimis.[1]

hodie ego cod. transposuit Merula.

Cum his ea quoque sunt comparanda quae supra pag. 42 commemoravimus: *quod te oro* cet. et haec: *scin quid te oro* (Pseud. 657), *scin quid tecum oro, scin quid ego uos oro, scin quid uolo, scin quid uos uolumus.*

Ex continuatis interrogationibus *(quid est, quid metuis)* discernendae sunt quae geminantur: *quis quis, ubi ubi, ut ut.* Repeti autem uno tenore vocabula multis et diversis in linguis constat.[2] Primitus hoc videtur ideo factum esse, ut intenta voce loquentis alter verba eius melius audiret. Itaque apud Ciceronem saepissime *inquam* secundae voci additur: *tu tu, inquam; per te, per te, inquam; vestris, vestris, inquam; haec, haec, inquam; illo, illo, inquam loco; video, video inquam; deserti, deserti, inquam sumus.* Atque apud Plautum qui conticescere iubetur, placide, gravius deinde impellitur:

Pers. 592 tace tace!

Item quom abiturum sive cum iam abiit manere quis vult:

Pseud. 239 PS. sine modo ego abeam
CALL. mane, mane!

Et iteratis in verbis facile immiscetur adfirmativa vis, ut in his quae attuli et in Plautinis illis *ite, ite; abi, abi; age, age; aperi, aperi; aperite, aperite.* Quod fit non solum in verbis, sed etiam in aliis vocabulis:

Bacch. 1099 hoc hoc est quod ⟨cor⟩ peracescit, hoc est demum quod percrucior.

---

1) Cfr G. Deecke, De usu pronom. relativi et c. dissert. Gotting. 1907 p. 63 s.
2) Tota de re cfr E. Wölfflin in Sitzungsber. der k. bayr. Akad. d. Wiss. 1882 III p. 422.

Bacch. 323. CH. non hercle opinor: uerum uerum nescio.
profecto de auro nil scio nisi nescio [1])
Curc. 7. PA. at tandem tandem — PH. tandem es odiosus mihi.
Merc. 130. AC. at etiam asto? at etiam cesso foribus facere hisc⟨e⟩ assulas?

In Casina (v. 604 ss.) alternis dictis *quin* comica illudentium vi decies repetitur.

Nonnumquam vis ipsa verbi repetiti intenditur ut in *heu heu* et in *eugae eugae perbene* (Rud. 164), *minime, minime hercle uero* (Trin. 752, ubi *uero* omittit A); his locis summum est πάος loquentium vel potius exclamantium. Saepius autem ex conduplicato verbo ipsa actio sive res sive persona multiplicato numero accipienda est, ut:

Pseud. 306. non est intus quisquam amator nisi qui perpetuat data,
det, det det usque: quando non sit, simul amare desinat.
det prius om. P.

Et *aperi aperi* illud, sicut plurale *aperite,* qui clamat, plures ni fallor compellit: tu sive tu, quis quis intus est.

Iam vero apud Plautum ita *quid* saepius exclamatur, sive aucto animo dicitur, sive ad plures volvitur, sive utrumque una fit:

Mil. 469. quid iam? aut quid est? [2])
haud quid opus est P.

Cas. 656. uxorem, ea intus — LY. Quid intus? quid est?
quid ergo? . . quid est? . . quid eum gladium?

Tanta fere animi incitatio, quanta hoc loco apparet, nescio an his qui sequentur insit, et plures interdum res cogitat qui *quid* geminat; sicut primo loco multa illa in pauca conferre iubet. De indefinita explicatione vix ulla mentio poterit fieri:

Cas. 648. sed hoc quidquid est eloquere, in pauca confer:
quid intus tumulti fuit? PAR. scibis, audi?) [3])
loquere . . refer P.

Aul. 639. quid ergo ponam? quin tu eloquere, quidquid (quale, quale!) est, suo nomine.
Mil. 311. hercle quidquid (quale!) est, mussitabo potius quam inteream male.

---

[1]) Petronius *vero vero, modo modo.*
[2]) Petronius 49: quid? quid?
[3]) Cfr de hoc loco et tota de re M. Pennigsdorf, De *quisque* et *quisquis* et c. Halis Sax. 1878.

Rud. 925. repperi: quicquid(!) inest graue quidem[in]st: aurum hic
ego inesse reor. nec mihi conscius est ullus homo.

hic om. B. *quidemst* Camerarius.

Asin. 295. LI. quae illaec praedast? ibo aduorsum atque electabo quid-
quid(!) est.

Truc. 253. sed fores quidquid *(quales res!)* est futurum, feriam.

ubi paulo ante Astaphium violentissimum illum hominem se timere ait.

Mil. 35. et adsentandumst quidquid (quales res!) hic mentibitur.

In his quae sequentur de pluribus praesertim rebus *cito* vocabulo insistenti suadetur ut se contineat:

Cas. 634. PAR. vae tibi. LY. immo istuc tibi sit. PAR. ne cadam,
amabo, tene me.
LY. quicquid(!) est eloquere mihi cito. PAR. contine pectus:

uae pro *istuc* A, *loquere* A.

Merc. 137. CH. loquere id negoti quidquid est cito. AC. placide, uolo
adquiescere.

Cas. 643. nam nisi ex te scio quicquid hoc est cito, hoc
iam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu,

643 in fin. *hoc scito* om. alt. *hoc* P.

Trin. 881. si unum quidquid (quales quamque multae sunt res!) singil-
latim et placide percontabere,
et meum nomen et mea facta et itinera ego faxo scias.

sin cod. *numen* cod.

Ter. Eun. 990. sed istuc, quidquid est, primum expedi.

Solo *quid* saepe contentum esse, qui intentiore interrogat vi, nihil est quod mireris; primo et secundo loco propter parataxin interrogativum anacoluthon fit:

Men. 1046. socer et medicus me insanire aiebant. quid(!) sit, mira sunt:

dicebant cod. Gimm, emend. Camerarius.

Poen. 518. nec tibi nos obnix⟨i⟩ sumus istuc quid(?!) tu ames aut
oderis.

obnoxii istuc Bothe, Lindsay.

In iis exemplis, in quibus est *quisquis*, impatientis interrogatio vel exclamatio satis credo conspicua est:

Amph. 1075. ibo ut cognoscam, quisquis(?) est. Amphitruo hic qui-
dem erus meus.

alterum *est* add. Camerarius, *atque* ante Amph. Luchs.

Pseud. 605. quisquis(?!) es, compendium ego te facere pultandi uolo:
ego om. A.

Rud. 943. TR. non edepol piscis expeto
quam tui sermonis sum indigens.
GR. enicas iam me odio, quisquis es(?!)
Cist. 690. ille nunc laetus est, quisquis(!) est qui illam habet:
Amph. 308. SO. cingitur: certe expedit se. ME. non feret quin uapulet.
SO. quis homo? ME. quisquis homo huc profecto uenerit(?!) pugnos edet.
homo delevit Redslob.

Comparandum hoc quoque est et quae post adferentur *quo modo:*

Pers. 778. DO. qui sunt qui erunt quique fuerunt quique futuri sunt posthac,
solus ego omnibus antideo, facile miserrumus hominum ut uiuam.
homonum cod.

Men. 826. quaeso quid mihi tecum est? unde aut quis tu homo es * * *
tibi aut adeo isti, quae mihi molestast quo quo modo?
826 *quid debeo* supplevit Leo 827 *molestiaest* Schoell, Lindsay; *molesta quae mihi est* cautius Vahlen.

Amph. 737. AL. primulo diluculo abi<i>sti ad legiones. AM. quo modo?

Cetera huius rei exempla varia hic apponam; *quantus,* sicut antea et hoc et *qualis* tractavi, nihil hic attinet a *qui* pronominis quaestione dirimere.

Poen. 737. AG. homo furti sese adstringet — ADV. hau dubium id quidemst.
AG. quantum quantum(?!) ad eum erit delatum. ADV. quippini?
furtis ese cod. *adstringit* cod. *quidem* PCD *quid est* B.

Ter. Phorm. 904. heus quanta quanta haec mea paupertas est, tamen . .
Ter. Adelph. 394 tu, quantus quantu's, nil nisi sapientia es, ille somnium.

Ubi et continuati et geminati nonnulla adnotavi exempla, et saepe de pluribus singulis nimirum, non cunctis una, cogitari videtur:

Amph. 456. ubi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdidi?
an egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Asin. 287. LE. perii ego oppido, nisi Libanum inuenio iam, ubi ubist gentium(!).

Paulo antea idem dixerat:

Asin. 267. ubi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium . . .

Ter. Eun. 294. ubi quaeram, ubi inuestigem, quem perconter, quam insistam uiam,
incertus sum. una haec spes est: ubi ubi est(!); diu celari non potest.

Curc. 97. ubi ubist(!) prope mest: euax, habeo.

Mil. 1379. ego nam conueniam illum. ubi ubist(!) gentium,
inuestigabo: operae non parco meae.

iam Camerarius. *parcam* idem.

Rud. 1210. ubi ubi(!) erit, [tamen] iam inuestigabo et mecum ad te adducam simul . . .

Ter. Andr. 684. iam ubi ubi(!) erit, inuentum tibi curabo et mecum adductum
tuom Pamphilum: modo tu, anime mi, noli te macerare.

tu modo codd.

Simile est *quo quo,* quod nescio qua causa coniungant, qui *ubi ubi* recte dividunt.[1]) Nam de *quis quis* tamquam relativo ubique nihil est quod queraris, nisi nimio plus petas.

Cas. 722. ita quo quo adueniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.

domnos ludens Lindsay.

Aul. 449. EVG. hoc quidem hercle quo quo ibo mecum erit, mecum feram

quo quo ego Wagner.

Ter. Phorm. 551. quo quo hinc asportabitur terrarum, certumst persequi aut perire.

Merc. 857. CHA. certa rest
me usque quaerere illam quo quo hinc abductast gentium

Unum *unde unde* et inter multa *ut ut* satis nunc habeo adferre:

Pseud. 106. atque id futurum unde unde(!) dicam nescio,
nisi quia futurumst: ita supercilium salit.

Amph. 396. SO. ut lubet, quid tibi lubet fac, quoniam pugnis plus uales.
verum ut ut(!) es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.

De indefinitis pronominibus pauca haec interponam, quamquam haec minus valent ad parataxin illustrandam, nisi quod interrogativam

[1]) Sic Goetz et Schoell, sic Lindsay.

in iis etiam ipsis originem indicare conabor. Atque vel de *quis* pronomine interdum dubitandum videtur utrum indefinitum sit an interrogativum, ut his locis:

Most. 749. iam de istis rebus uoster quid sensit senex?

Addita interrogandi particula magis indefinitam significationem agnoscas, quamvis *an* magis solito more dictum accipi possit: utrum ita est an —? Primo tamen loco *quas* post verbum positum indefinitum potius est:

Pseud. 27. CA. cur inclementer dicis lepidis litteris,
lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
⟨PS⟩ an opsecro hercle habent quas(!) gallinae manus?
nam has quidem gallina scripsit.

29 *que* P. 30 *gallinas* A.

Asin. 717. ARG. iam istoc es melior. LI. an quid(!) est [olim] homini salute melius?
Merc. 145. dic mihi, an boni quid usquam est, quod quisquam uti possiet
sine malo omni, aut ne laborem capias, quom illo uti uoles?
Bacch. 274. NI. etiamnest quid porro? CH. em accipitrina haec nunc erit.

De his quoque duobus locis dubito, de priore praesertim, ubi intenta est animi vis:

Fragm. Fab. 19. vel nunc qui(!) mihi in mari acipenser latuit antehac,
quoius ego latus in latebras reddam meis dentibus et manibus.
Aul. 489. namque hoc qui dicat: quo illae nubent diuites
dotatae, s⟨i⟩ istud ius pauperibus ponitur?
quo lubeant nubant, dum dos ne fiat comes.

490 *dotata es istud uis* codd. emend. Camerarius. 491 *iubeant* codd.

Maxime vero *quis* et *quid* indefinita vi poni dicuntur in condicionalibus quae vocantur sententiis. In his autem mihi videor ostendisse quam parum differant illa *si quid uis roga* (Merc. 185, Aul. 161, Pseud. 479) et *quid uis roga* (Amph. 708); item *loquere si quid uis* (Capt. 603) et *loquere quid uis* (Mil. 358, Aul. 777). Eiusdem modi est si *quid opus est,* nec prorsus dissimile *si quid agis* [1]).

Et innumerabilibus locis dicitur *num quis, num quid, ne quis,*

---

[1]) Cfr Paratactica latina I passim.

ubi interrogativam malis quam indefinitam parataxin primitus positam putare, sicut:

Capt. 353 num quae causast quin . . . mihi des . .?
Pseud. 533 num quid causaest ilico quin te . . condam
causa est cod.

Rud. 758 quid causaest quin uirgis te sauciem?
Ter. Andr. 600. quid causaest quin . . . proficiscar.

Nec desunt loci, ubi *num,* sive cum *nam* sive cum *nunc* comparandum est, ipsum per se interrogativum, sed adfirmativum videtur,[1]) qua in re hoc commemorandum est:

Aul. 780. noui genus: nunc quid uis?
Bacch. 884. quid nunc, impure, num quid debetur tibi?
Cas. 676. num quid mihi minatur?
Aul. 389. numnam (nunc ipsum!) ego compiler miser?
Truc. 352. num tibi nam (nunc), amabo, ianua est mordax mea, quo intro ire metuas?
Cist. 658. haec cistella numnam (iam dicis) hinc a nobis domo est? nam hinc ab ostio iacentem sustuli.

Primigeniam *ne quis* vocum naturam si vis tibi repraesentare, hoc forsitan fingendum putes: cur mirer, id servitus interdixit, non, quid mirer?

Pers. 620. cur ego hic mirer, mi homo,
seruitus mea mi interdixit ne quid mirer meum malum.
pro *hic* P *id. homo mi* A.

Attracta quoque pronomina relativa et implicata inter se enuntiata nescio an nonnumquam ex interrogationibus explicanda sint, praecipue ex *qui* adverbio[2]). Quamquam concedendum est facile a minus litteratis praesertim anticipari casum quem sequi oportuit.[3]) Pauca ex primigenia interrogatione vel exclamatione suis locis a me explicantur.[4]) In his quae sequuntur exemplis compluribus haud

---

[1]) De *numquid vis* et simil. nuper J. Preibisch De sermonis cotidiani formulis quibusdam veterum Romanorum, Halis 1907 p. 29 s. et quae acutissime disputavit T. Gloeckner in Archivo Woelffliniano XV, p. 491 s.

[2]) *qui* praevalere hic quoque elucet ex iis quos Mihaileanu protulit numeris, De comprehens. relativ. apud Cicer. diss. Berol. 1907.

[3]) Idem in sonis latinis fit, ut ad posteriorem sonum valentiorem refingat priorem qui loquitur, sensu etymi neglecto, de qua re nuper K. Brugmann 1909 in annal. saxon. soc. scient XXVII et M. Niedermann Berl. phil. Wochenschr. 1911 p. 1035 s.

[4]) Cfr Förster in Fleckeis. Jahrb. Supplem. XXVII p. 170 s., O. Mihaileanu, De comprehensionibus relativis apud Ciceronem dissert. Berol. 1907, et nuper F. Schön De assimilationis pronominis relativi extra dialectum Atticam usu,

scio an Krollio consentiendum sit originem ex indefinita ratione repetenti. Ac ne certis personarum nominibus indefinitum pronomen adiunctum vituperes, sunt eius modi loci, ut hic, ubi de interrogativa significatione nulla fieri potest mentio:

Asin. 343. verum in tonstrina ut sedebam, [me] me infit percontarier,
ecquem filium Stratonis nouerim Demaenetum.

Simile est hoc — durius enim invertuntur sententiae: quem convenire uolui? Naucratem, is . . .

Amph. 1009. Naucratem quem conuenire uolui, in naui non erat,

Neque prorsus absonum videtur quod de personis nominatim dictis ponatur etiam de numeratis poni:

Capt. 1. Hos quos uidetis stare hic captiuos duos,
illi qui astant, — hi stant ambo, non sedent:
hoc uos mihi testes estis me uerum loqui.
quid astant Lindsay.

Capt. 110. HE. aduorte animum sis: tu istos captiuos duos
heri quos emi de praeda a quaestoribus,
his indito catenas singularias

Haec quoque quae sequuntur duo facilius indefinite quam interrogative (quale! qualem?) explicantur:

Mil. 140. nam unum conclaue concubinae quod dedit
miles, quo nemo nisi ea<p>se inferret pedem,
in eo conclaui ego perfodi parietem . . .

Cist. 611. medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
natast haec uirgo, Alc[h]esimarcho quae datur.

Ecquis[1]) nescio an primitus fuerit interrogativum, postea vero magis usu evolutum sit, ut *quis* indefinitum ab interrogativo *quis*? tamquam superatum restitueret. Parvum certe inter *quis* et *ecquis*

Vratislav. 1909. Praeterea eas sententias respexi, quas protulerunt Bach, Devantier, Geyer, Hermann, Kleinschmidt, Kroll, Lindskog, Löfstedt, in libro qui inscribitur Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae, Upsaliae 1911 p. 222 s. Paetzolt, ne enumerem Steinthalium, Ziemerum, auctores grammaticarum, singulorum locorum interpretes.

[1]) De *et quis,* quod falso confundunt cum *ecquis* Döhring, J. Schmidt, A. Walde (Lateinisches etymologisches Wörterbuch Heidelberg 1910), Th. Birt in Archivo Woelffliniano XV p. 76 s. Recte iam Agroecius, Keil Gr. lat. VII K 144,12 *ecquando* increpando vel inquirendo interrogantis adverbium est, *et quando* simpliciter loquentis.

discrimen fuisse vel ex his locis elucet, simul interrogativam fuisse originem:

Stich. 221. logos ridiculos uendo. age licemini.
qui cena poscit? ecqui poscit prandio?
locos cod. *quis* A, G. & S.

Stich. 333. PAN. quid agis? PT. quid agam rogitas.
Aul. 635. EVC. at illud quod tibi apstuleras cedo.
ecquid agis? SERV. q u i d a g a m? EVC. auferre non potes
SERV. quid uis tibi?
EVC. pone!
tibi quod conicit Lindsay *eho tu ecquid* Schoell.

Cist. 643 ecquid agis? remorare (cfr Epid. 688).
Men. 673. <h>e[i]us, ecquis (quis?!) hic
est ianitor?
aperite atque Erotium aliquis euocate ante ostium.
heus iam Itali. *aliqui* B.

Truc. 870. aperite hoc, aperite. heus, ecquis (quis?!) his foribus tutelam gerit?

Simile est usitatum illud: *ecquis hoc aperit ostium?*

Bacch. 979. NI. quid fit?
quid, quod te misi, ecquid (quid?!) egisti? CH. rogas?
congredere. NI. gradior.

Indefinita iam haec dixerim; primo loco tamquam oculis nostris subicitur quo modo ex interrogativo factum sit indefinitum:

Stich. 32. quid agant, ecquid agant . . .
Cas. 950. sed ecquis est, qui homo munus uelit fungier
pro me? quid nunc agam nescio . . .
vel *ecquist* Skutsch.

Mil. 794. PA. at scietis. sed ecqua ancillast illi? PE. est prime cata.
PA. ea quoque opus est. ita praecipi<t>o mulieri atque ancillulae.
haecque P *primicata* P emend. Salmasius.

Mil. 782. PA. ecquam tu potis reperire forma lepida mulierem,
quoi fa<ce>tiarum cor pectusque sit plenum et doli?
corpusque Dziatzko, sequitur Lindsay.

Bacch. 206. CH . . . ecquidnam meminit Mnesilochi? PI. rogas?
Aul. 16 . . . coepi obseruare, ecqui maiorem filius
mihi honorem haberet quam eius habuisset pater.
et qui cod. *et quidem* Nonii codd. *ecquid* Caesar.

Merc. 844. ecquisnam deus est qui mea nunc laetus laetitia fuat:

Siquid (iam quid?) idem fere esse atque *ecquid* monui (Paratactica latina I p. 74):

Asin. 384. quis . . . frangit foris? ohe, inquam, si quid audis.

De interrogativa *nescio quis* pronominis origine haec pauca adnotavi disiunctis duobus illis vocabulis. Primo loco Staphyla cum ante negasset se posse comminisci quam insaniam domino evenisse diceret, similiter se re vera nescire ait:

Aul. 71. nescio pol quae illunc hominem intemperiae tenent.
Trin. 880. multa simul rogitas: nescio quid expediam potissumum.
Merc. 369. nescio quid meo animo est aegre, pater.
Truc. 334. nescio quem praestolata est, credo militem.
Merc. 684. nescio quae est mulier intus hic in aedibus.
Ter. Andr. 340. laetus est nescio quid
Poen. 987. doni uolt tibi dare hic nescio quid. [1])
Bacch. 1104. PH. certe hic prope me mihi nescio quis loqui uisust. sed quem uideo?
hicquidem<st> pater Mnesilochi. NI. euge, socium aerumnae et mei mali uideo.

certe Langen recte, *certo* cod.

Cas. 581. verum hic sodalis tuos, amicus optumus,
nescio quid se sufflauit uxori suae:
Capt. 837. HE. nescio quem ad portum nactus es ubi cenes: eo fastidis.

In *aliquis ali* fere „illic" esse haud sine causa contendit F. Sommer. [2]) *Quis* autem non dubito quin ex interrogativa vi primigenia explicandum sit. [3]) Itaque usitatissima illa *aperite aliquis, heus aliquis, exite huc aliquis* olim videntur fuisse aliquanto acrius de certo homine quaerentis: aperite, illic quis est?

Mil. 1030. PY. aliquam (quam illic?) mihi partem hodie operae des denique: iam tandem ades ilico.

ultima verba corrupta non meum est curare.

---

[1]) Cfr E. Becker De syntaxi interrogationum obliquarum etc. p. 228 s. (in Studemundi Studiis I).

[2]) Indogerm. Forsch. XI p. 6 et (1909) XXXIV p. 17; aliter K. Brugmann I. F. XXIV p. 160 s.

[3]) E. Löfstedt Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität, Uppsala 1907, s. 115; cfr J. H. Schmalz in Berlin. phil. W. 1909 p. 907 et Antonii librum Studien z. lat. Gramm. u. Stilistik III Erfurt 1888.

Alius quis esse *aliquis* forsitan his locis nisus adfirmes:[1])

Epid. 255. PE. quid ego faciam nunc consilium a te expetesso, Apoecides.
AP. reperiamus aliquid cal[l]idi conducibilis consili.

Pseud. 1247. an id uoltis ut me hinc iacentem aliquis tollat?

Asin. 168. modo quom accepisti, haud multo post aliquid quod poscas petas.

quom Pylades, *quod* cod. *quid* Speijer.

Rud. 135 . . . semper petunt
aquam hinc aut ignem aut uascula aut cultrum aut veru
aut aulam exstarem aut aliquid — quid uerbis opust.

Merc. 660. clam patrem patria haec effugiam aut aliquid capiam consili.

Men. 211. aut sincipitamenta porcina aut aliquid ad eum modum.

Comparanda denique haec sunt:

Ter. Eun. 190. in hoc biduom, mea Thaïs, uale. TH. mi Phaedria,
et tu, num quid uis aliud? PH. egone quid uelim?

mea non est in codd.

Ter. Heaut. 331. SY. quid aliud tibi uis? CLIT. siquidem hoc fit.
SY. siquidem? experiundo scies.

Phorm. 207. quid faceres si aliud quid grauius tibi nunc faciundum foret?

Phorm. 770. ut si qui uiuat, dum aliud aliquid flagiti conficiat.

Epid. 333. STR. vae tibi, muricide homo. CHAE. qui tibi lubet mihi male loqui?
STR. quippe tu mi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus ⟨b⟩latis,
quod nusquamst:

vae vae conicit Lindsay.

Epid. 236. EP. occepere aliae mulieres
duae sic post me fabulari inter sese: ego abscessi sciens . . .

quae A *post me sic* P *solens* P.

De *quispiam* primitus interrogativo haec satis habui adferre:

Truc. 724. DI. quid? amator nouos quispiam?[2])

Mil. 431. ne dum quispiam
nos uicinorum inprudentis aliquis mutauerit.

ne clam Bothe.

Cas. 672. LY. men occidet? PAR. an quippiam ad te attinet? LY. vah.
PAR. quid cum ea negoti tibist? LY. peccaui: illuc dicere uilicum uolebam.

---

[1]) *aliquis* numquam esse *alius quid* dicitur in novo Thesauro latinitatis et Merc. 495 *aliquid*, quod in A est *d* tamen puncto subdito, in *aliud* recte mutari.

[2]) K. Lerche De quippe particula Breslau 1910 p. 15 *quispiam* hoc loco luculenter docet esse: wer kann es denn schon sein; eadem ratione explicat Mil. 43 et *quippiam* Cas. 672, Pseud. 368, Capt. 127.

PAR. sciens de uia in semitam degredere.
LY. num quid mihi minatur? PAR. tibi infesta solist . . .

672 *me* P. 675 *degredire* Bentley, G. & S.

Conferendi hi sunt loci:

Pseud. 367. BA. atque occidi quoque
potius quam cibum praehiberem: num peccaui quippiam?
Capt. 127. uisam ne nocte hac qui<p>piam turbauerint.
Most. 345. num mirum aut nouom quippiam facit. [1]
Aul. 91. quod quispiam ignem quaerat, extingui uolo,
ne causae quid sit quod te quisquam quaeritet.

Quidam hoc certe loco utuntur qui se non statim comminisci simulant, quis sit, de quo loquuntur:

Merc. 426. DE. tace modo: senex est quidam qui illam mandauit mihi
ut emerem — ad istanc faciem. CH. at mihi quidam adulescens, pater,
mandauit ad illam faciem, ita ut illa est, emerem sibi.

Similiter Cist. 735 saepius ponitur *quidam* de certis hominibus, verum ita ut ad incertos rem trahi simulent qui loquuntur. [2]

Quisquam [3] apud Plautum saepissime ponitur in sententiis, quae negantur *nec, neque* particula vel negativo sensu interrogantur, nec rarum est in ceteris, ubi est *non, hau, ne, neve, neu, ne-quidem, numquam, nusquam, nemo, nihil; cave, uoto, nolo; -ne, an, num;* item post *si* et in secundariis sententiis quae ex negativis pendent. At restant paucae sententiae haud negativae et quae a *quam* coniunctione incipiunt. Sicut saepius *nescio quis,* ita *quisquam* videtur per se olim dictum: — *quis? quo modo?* vel *quantum? Quam* etsi saepius et fortasse primitus fuit idem atque *quantum,* facile ad *ut* particulae significationem abiit, sicut in *quo modo* et *quem ad modum* et in ipso *modi* vocabulo fieri videmus. Interdum tamen in *quisquam* metiendi quaedam vis retinetur, ut in primis duobus exemplis:

Aul. 336. ubi si quid poscam, usque ad rauim poscam prius quam quicquam (quid? quantum?) detur.

[1] Codicum lectionem recte defendit A. Prehn, Quaestiones Plautinae de pronominibus indefinitis, Strassburg 1887, p. 7.
[2] cfr M. Petschenig in Archivo Woeffliniano 1889 VI p. 268.
[3] cfr A. Prehn in libro quem modo commemoravi, p. 13 s., et O. Seyffert in Jahresber. Altertumswiss. 1890, LXIII 2 p. 15.

Cas. 676. tibi infesta solist
plus quam quoiquam.

Comparanda haec sunt:

Ter. Andr. 434. quid Dauos narrat? aeque quicquam (was noch!) nunc quidem (sc. atque antea)? [1]
Ter. Heaut. 685. CL. quoi⟨quam⟩ (wem auch!) aeque audisti commode quicquam euenisse? SY. nulli.

Cum negativa interrogatione aut negatione *quisquam* saepissime ponitur; primo loco etiam *quis* est:

Aul. 810. quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, quoi di sint propitis?
Asin. 492. neque me Athenis alter est hodie quisquam
quoi credi recte aeque putent.
alter est Ath. Bentley.

Mil. 1043. deus dignior fuit quisquam homo qui esset?
heus cod. *heuis* B.

Atque hac in re animadvertendum est *quam* certe latinum alias non indefinite poni, nisi forte ad eam rem, sicut W. M. Lindsay Syntax of Plautus p. 105, adhibeas *nimis quam* et *admodum quam,* aperte interrogativae vel etiam exclamativae originis. Quod quamquam in enclisi fieri facile potuit, eo tamen revolvor, ut ex abrupto dicendi genere interrogativo *quisquam* ortum esse videatur, quale his locis est. Primo igitur loco pro *quid quo modo* in solito sermone dicebatur hoc fere: si *quicquam* tu addis:

Amph. 556. AM. quid est? quo modo? iam quidem hercle ego tibi istam
scelestam, scelus, linguam abscidam. SO. tuos sum.
Pseud. 1285. sed quid hoc? quo modo? quid uideo ego?
Poen. 1296. sed quid hoc est? quid est? quid hoc est?
quid ego uideo? quo modo? quid hoc est conduplicationis?
Amph. 626. AM. qui, malum, intellegere quisquam (quis quo modo?!) potis est? ita naugas blatis.
Cist. 364. quid ego usquam male feci tibi ⟨aut m⟩eus quisquam (quis quo modo?) id edisserta.
quam ob rem me meumque filium cum ⟨matr⟩e remque nostram
habes perditui et praedatui?
364 supplevit Seyffert, cetera Studemund.

[1]) De hoc loco cfr E. Walther De infinitae particulae *quam* etc. Ienae 1909 p. 23.

Ex interrogativis particulis pendere videtur *quisquam:*

Pseud. 288. non periclumst, nequid recte monstres. BA. non lenoniumst.
CA. egon patri subripere possim quicquam, tam cauto seni?
Ter. Eun. 153. egon quicquam cum istis factis tibi respondeam?[1])
Bacch. 151. vixisse nimio satiust iam quam uiuere.
magistron quemquam discipulum minitarier?

Similia sunt:

Ter. Eun. 861. debeam
credo isti quicquam furcifero si id fecerim.
Most. 13. nec veri simile loquere nec uerum, frutex,
comesse quemquam ut(?!) quisquam(?!) absentem possiet?
Ter. Andr. 625. CH. hoccine[2]) est credibile aut memorabile
tanta uecordia innata quoiquam(?!) ut(?!) siet,
ut malis gaudeant atque ex incommodis
alterius sua ut comparent commoda? ah.

Ad negativas sententias redeo, ubi per se stat *quisquam,* interdum ad finem sententiae promotum:

Pers. 648. DO. quoius modi is in populo habitust? VI. nemo quisquam (— quis? quo modo! —) acceptior,
serui liberique amabant.
Mil. 538. numquam edepol hominem quemquam ludificarier
magis facete uidi et magis miris modis.
Aul. 192. EV . . . neque eam queo locare quoiquam. (— quoi? quo modo?) MEG. tace: bonum habe animum, Euclio:
Bacch. 922. numquam edepol quicquam temere credam Chrysalo.
temere quicquam A.

Asin. 174. nam neque fictum usquamst neque pictum neque scriptum in poematis,
ubi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse uolt.
neque usquam pictum cod. rectius apud Nonium.

Et *quisquam* pronomini additur *quis,* ut paulo ante:

Most. 256. vah, quid illa pote peius quicquam (— quid quam?! —) mulieri memorarier?
morarier cod.

Asin. 146 nihil est, nihil quicquam meret.

Si quisquam his locis est:

---

[1]) De *quisquam* (ut de *aliquis)* a posterioribus scriptoribus posito cfr H. S. Anton Studien zur lateinischen Grammatik und Stilistik III Erfurt 1888.

[2]) De *hoccine* et *hicine* cfr Th. Birt in Archivo Woelffliniano XV p. 76.

Mil. 624. novo modo tu, homo, amas, si quidem quicquam quod faxis pudet; nihil amas.
Ter. Phorm. 490. mirabar si [1]) tu mihi quicquam adferres novi.

Nequiquam particulae animadversum est saepe anteponi *ne;* fuitne primitus: non, non, quî, quo modo:

Asin. 698. ne istuc ne quiquam dixeris . . .
Bacch. 701. ne id ne quiquam dixerit.

Simile est *ne quaquam.* [2])

In *umquam* et *usquam* eadem interrogativa vel exclamativa vis primigenia nescio an appareat, quamquam *um-* et *us-* unde orta sint fateor me nescire malle quam incerta amplecti.

Men. 474. pro di immortales, quoi homini umquam uno die boni dedistis plus, qui minus sperauerit?
Rud. 1117. quaeso en umquam (quando! ut!) hodie licebit mihi loqui?
Trin. 590. en umquam (quando! quo modo!) aspiciam te.
Pseud. 314. eho, an umquam (quando! quo modo!) tu huius nupsisti patri?
Merc. 313. si umquam uidistis pictum amatorem, em illic est [3])

In fine ferme sententiae magis etiam per se ponitur:

Aul. 141. idem ego arbitrer, nec tibi aduorsari certumst de istac umquam, soror.
Men. 369. quid mecum tibi fuit umquam aut nunc est negoti?

De *usquam* prorsus eadem dicenda sunt:

Ter. Ad. 337. an hoc proferendum tibi uidetur usquam?
Merc. 421. litigare nolo ego usquam, tuam autem accusari fidem.
Poen. 475. an opsecro usquam sunt homines uolatici?
Cist. 364. quid ego usquam mali feci tibi aut meus quisquam?

Item in *numquam* aliquid interdum interrogationis vel exclamationis inest, ut in *numquam factumst* (Amph. 700, Men. 533).

Merc. 127. numquam edepol omnes balineae mihi hanc lassitudinam eximent . . .

In *ne utiquam* haud dubitaverim duplicem primitus interrogationem agnoscere, sicut in *ut quî,* vel *quî quîn:*

---

[1]) De *si* saepe paratactico et post mirandi verba primitus posito cfr Paratactica latina mea I passim.

[2]) De his cfr E. Walther De indefinitae particulae *quam* etc. dissert. Ienens. 1909 p. 26 s.

[3]) De *si* hic primitus paratactico cfr Paratactica latina mea I, p. 25.

Capt. 586. id ne utiquam mihi placet . . . (simile est Merc. 599).
Poen. 199 . . . ne utiquam potest.

Quisque si ex interrogativa vel exclamativa origine exstitisse concesseris, primo loco positum nihil habet offensionis [1]) (welche ist nun auch!):

Ter. Hec. 386. quaeque fors fortunast, inquit, nobis quae te hodie optulit, per eam te obsecramus . . .
Mil. 460. quemque(?!) hic intus uidero . . . eum ego optruncabo extempulo.
Amph. 241. quisque ut (wer auch und wie einer . . .) steterat, iacet optinetque ordinem.
Asin. 403. LI. atque hercle ipsum adeo contuor: quassanti capite incedit.
quisque(?!) obuiam huic occesserit irato, uapulabit.
ME. siquidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus [in]cedit.
si med iratus tetigerit, iratus uapulabit.
cedit Scaliger, *incedit* Leo, G. & S., Lindsay.

Mil. 1264. omnes profecto mulieres te amant, ut quaeque (wie und wer!) aspexit.
Poen. 486. ut quisque acciderat, eum necabam ilico.
Pseud. 755. ceterum quo quidque pacto (wie und was nun?) faciat ipsi dixero.
Trin. 854. praemonstrauit prius
quo modo quidque agerem . . .
quique P.

Trin. 206. quod quisque (was nun und wer) in animo habet aut habiturust sciunt.
Pers. 373. dicat quod quisque (was und wer?) uolt . . .
Capt. 797. tum genu ad quemque iecero ad terram dabo.
ad del. Leo, *ut* Pylades *icero* Pylades.

Bacch. 471. apsorbet ubi quemque (wo und wen?) attigit.
Amph. 1048. ubi quemque hominem aspexero,
si ancillam seu . . . siue . . . uidebo optruncabo in aedibus.
hic ne *quomque* intrudas, octies a Plauto poni *ubi quisque* monet O. Seyffert Berl. phil. W. XVI 1896, p. 14.

Curc. 180. dum mi abstineant inuidere, sibi quisque (wer nun auch!) habeant, quod suomst.
Capt. 400. ⟨HE.⟩ meus mihi, suos quoiquest carus. PHIL. numquid aliud uis.

---

[1]) Cfr tamen F. Skutsch in Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. XXVII, p. 88.

Pseud. 973. nam in foro uix decumus quisquest (wer nun auch? kaum der zehnte) qui ipsus sese nouerit.

quisque est A, *quisquis* ceteri.

Asin. 153. CL. unum quodque (welches nun auch willst du?) istorum uerbum nummis Philippis aureis
non potest auferre hinc a me, si quis emptor uenerit.

Most. 155. optumi quique (welche nun auch? die besten) expetebant a me doctrinam sibi . . .[1])

Quoque primitus fuisse idem fere atque *quoquo modo* (cfr supra pag. 61) nescio an concludi possit ex his locis:

Trin. 800. uxorem quoque eampse hanc rem uti celes face

uoxorem B.

Amph. 30. atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius,
contagione mei patris metuo malum.

Amph. 702. AM. etiam tu quoque adsentaris huic? SO. quid uis fieri?

Asin. 184. volt (placere se) famulis, uolt etiam ancillis: et quoque catulo meo
subblanditur nouos amator, se ut quom uideat gaudeat.

et quoque suspectum habet Lindsay; *ipsi q. c.m.* Havet.[2])

Particulas relativas, quarum origo est interrogativa — nam hic maxime indefinita ratio quam parum valeat equidem mihi videor videre — separatim quasdam ex solito grammaticorum more, dubio eo quidem, tractabo. Neque de *quin*[3]) et *quî* particularum parataxi

---

[1]) De *quisque* in sera latinitate ad *quis* relato cfr nuperrime E. Löfstedt in Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae, Uppsala 1911, p. 272.

[2]) In pronominibus indefinitis ut appareat quantum intersit inter Plauti et Petronii sermonem, haec Petronii exempla una nunc omnia brevissime adnoto: hunc adulescentem quem vides: malo astro natus est (134); aut hoc aut illud erit, quid utique (45); ne quis (129), ne quid (82, 117), nisi quis (50), si aliquam (137), ne automaton aliquod (54), miretur nunc aliquis (87), ubi aliquid (fragm. XIV); aliquos . . qui . . defenderent (114), num aliquis me quaesisset (139), aliquis oblivisceretur (?! interrogativum fere pronomen 49); et facinus indignum: aliquis ovillam est et tunicam habet (56); excitavit me sopitum et „numquid vis“ inquit (aperte interrogativum, 87), roga numquid illa . . tu es (126); vide numquid hoc placeat (102); quid est . . ecquid . . coepisti (131); quisquam me bis poscit (interrogativum fere pronomen, 57). Nonnulla vestigia primigeniae rationis interrogativae vides et pro *quis* iam iam interituro saepius *aliquis* positum, *numquid* fere adverbium.

[3]) Nuper de *quin* primitus paratactico F. Skutsch in Glotta II p. 382, ubi de F. H. Fowlerti sententia disputat. Contaminationis artificium, quod nescio an ad ultimos casus reservandum sit, si etymon vocabuli non sufficit, adhibuit H. Ziemer, in libro tunc temporis egregio, Junggrammat. Streifzüge im Gebiete der Syntax, p 134: quin tu (audis?) audi! Ad primigenium *quin* interrogativum recurrit Petronius (72): *quare non* vivamus?

est quod verba faciam, quam quisquis vult intellegere primigeniam, in quovis enuntiato, quod iam relativum aut est aut esse dicitur, perspicuam reperiet. *Qui* repetiti exemplum insigne lubet adferre, quamquam de solito instrumenti casu cogitari potest:

Ter. Hec. 848. quis me est fortunatior uenustatisque adeo plenior?
egone te pro hoc nuntio qui donem? qui? qui? nescio.
PAR. at ego scio. PAM. quid? PAR. nil enim;

eho tu Fleckeisen, 850 *quid* codd.

De *quidem* particulae usu quamquam nihil fere adnotavi, id tamen mihi dicendum videtur ad *quid* vix referri posse originem eius, significationem si spectes, potius ad *qui.* Ego vero id quoque conieci exortum esse ex *hicquidem*, ubi *que* ita olim positum putaverim ut *atque* in *atque hic quidem* (cfr supra pag. 15), ut esset primitus fere: auch denn, auch ja.[1])

Ad *quia* transgressus praemonitum velim ex interrogata paratactice per adverbium causa facile transiri ad causalem coniunctionem et hypotaxin vulgi praesertim ex lingua satis apparet[2]), sicut ex his locis, ubi *quoniam* possis reponere:

Sueton. Tib. 59. non es eques! qua re? non sunt tibi milia centum

Ter. Ad. 860. (vitam duram omitto) id quam ob rem? re ipsa repperi
facilitate nil esse homini melius neque clementia.

re eapse Fleckeisen.

Mil. 1405. PE. quor ire ausu's? em tibi.

quirere PCD *quare* B corr. Seyffert.

Pseud. 182. cur ego uestem aurum atque ea quibus est uobis usus praehibeo? quid mi
domi nisi malum uostra operast hodie, inprobae? uini modo cupidae estis:

182 *usui* P.

Ter. Andr. 249. repudians repetor. quam ob rem? nisi si id est, quod suspicor:
aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
itur ad me.

Iam vero *quia* sicut *quianam* primitus ad interrogandum adhibitum esse constat, neque dubito quin inde coniunctionalis usus

---

[1]) Cfr H. Ottenjann De vocum encliticarum apud Plautum collocatione, Monasterii 1910 p. 66.

[2]) O. Rebling in Neue Jahrb. c XXI 1880 p. 367; cfr R. Frobenius Syntax des Ennius Nördlingen 1910 p. 27, 82, 100.

eius repetendus sit. [1]) Sed etiam nunc plura quam crederes manent vestigia interrogativae originis, ut his locis:

Amph. 810. perii miser,
quia(?!) pudicitiae huius uitium me huic absente est additum?

hic cod.

Ter. Adelph. 35. ego, quia non rediit filius(?), quae cogito,
quibus nunc sollicitor rebus!

Amph. 795. SO. me captas, quia(?!) tute ab naui clanculum huc alia uia praecucurristi, atque hinc pateram tute exemisti atque eam huic dedisti, post ha⟨n⟩c rursum opsignasti clanculum.

hanc Spengel, vix tamen recte.

In altera sententia *eo* et demonstrativa pronomina ponuntur, ad quae facile refertur *quia* manentibus tamen vestigiis originis interrogativae:

Pers. 785. quia ei fidem non habui argenti, eo mihi eas machinas molitust.

Truc. 270. aduenisti huc te ostentatum cum exornatis ossibus,
quia tibi insuaso infecisti propudiosa pallulam,
an eo bella's? qui⟨a⟩ accepisti armillas, an eas?

in fine fortasse *bella eo's.*

Post posito *quia* potius iam relativa datur significatio:

Asin. 844. ea res me male habet, at non eo quia tibi non cupiam quae uelis:

ac . . quin codd. *quia* Acidalius edd., vix tamen recte.

Capt. 994. eo miser sum, quia(?!) male illi feci, si gnatust meus.

Pers. 431. TO. iam omitte iratus esse. id tibi suscensui,
quia(?!) te negabas credere argentum mihi.

omitto P. *tu* A.

Bacch. 317. NI. quid? nescis? CH quia Mnesilochus noctu clanculum deuenit ad Theotimum . . . eo ego nescio.

Capt. 152. eheu huic illud dolet, —
quia nunc remissus est edendi exercitus.

sic Lindsay distinxit verba; equidem non dubitaverim exclamationis signum ponere.

Asin. 385. ME. nemo etiam tetigit: sanun es? LI. at censebam attigisse propterea, huc quia habebas iter. nolo ego fores conseruas meas a te uerberarier: sane ego sum amicus nostris aedibus.

aedibus om. Guilielmus, ceteri.

---

[1]) Longe aliter P. Langen Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 54 et 325 s. qui ex coniunctione causali exstitisse dicit interrogativum adverbium. Cfr. E. P. Morris On principles and methods in latin syntax New York 1901 p. 180. In hac particula, quam adamavit Plautus, nulla omnino cogitari potest indefinitiva origo.

Cas. 238. ut te bonus Mercurius perdat, myropola, quia(?!) haec mihi dedisti.

qui pro *quia* Lambinus, male ille quidem.

Stich. 608. ⟨EP.⟩ non it, non it: quia(!) tanto opere suades ne [e] bitat.
Amph. 378. ME. ergo istoc magis
quia(?!) uaniloquo's, uapulabis: ego sum, non tu, Sosia.
Aul. 423. CO. sed quid tibi nos tactiost, mendice homo? ⟨EVC.⟩ quae res?
etiam rogitas? an quia minus quam aequom me erat feci?
Aul. 643. SERV. LYC. facin iniuriam mihi an non? EVC. [fateor] quia non pendes, maxumam,

facisne cod. *an non* fortasse rectius seclusit Lindsay.

Trin. 289. lacrumas haec mihi, quom uideo, eliciunt,
quia ego ad hoc genus hominum duraui(!). quin prius me ad pluris penetraui?

Saepe praecedit altera interrogatio [1]):

Mil. 471. PA. edepol ne tu tibi malam rem repperisti, ut praedicas.
SC. quid iam? PA. quia(?!) hanc attingere ausu's mulierem hinc ex proxumo.

hic in prox. P.

Bacch. 87. PA. quid ita. PI. quia(? —) istoc inlecebrosius
fieri nihil potest, nox mulier uinum, homini adulescentulo.
Truc. 266. AST. quid tibi ego maledico? STR. quia enim (quianam?!) me truculentum nominas.
Trin. 1164. CH. atque edepol sunt res quas propter tibi tamen suscensui.
CA. quid ego feci? CH. meum corrumpi quia(?) perpessu's filium.
Aul. 416. CONG. quam ob rem?
EVC. quia(?) cultrum habes. CONG. cocum decet. EVC. quid comminatu's
mihi? CONG. istud male factum arbitror, quia(!) non latus fodi.
Amph. 552. AM. scelestissumum te arbitror. SO. nam quam ob rem?
AM. quia(!) id quod neque est neque fuit neque futurumst
mihi praedicas.
Poen. 317. AM. nimia nos socordia hodie tenuit. AD. qua de re, obsecro?
⟨AN.⟩ quia(?) non iam dudum ante lucem ad aedem Veneris uenimus, . . .

[1]) De nova interrogatione, qua alteri interroganti respondetur, cfr quae pag. 10 diximus.

Rud. 760. LA. atqui[n], quia(?) uotas, utramque iam mecum abducam semul.[1])

Saepius ita *qui* et *quidem* ponuntur, plerumque uno tenore, iam ut *quia* ex *qui* illo quoquo modo exortum suspiceris.[2])

Epid. 96. nequam homo's, Epidice.
qui lubidost male loqui? quia tu tete deseris.
quid faciam? men rogas?

Bacch. 53. BA. qui, amabo? PI. quia, Bacchis, Bacchas metuo et bacchanal tuom.

Merc. 612. EV. qui? CH. quia aequalem et sodalem, liberum civem, enicas.

Asin. 620. AR. quidum? LE. quia oculi sunt tibi lacrumantis, eo rogaui. *ego* PE.

De *quippe* particula parum vel nihil est quod summa in re addam ad ea quae nuper protulit *K. Lerche*[3]). Qui tamen de origine particulae dum quaerit cum inter *quid* et *qui* vacillaret (p. 10) et pari ea significatione esse diceret (p. 17), non satis vidit, *quid* qui ponit, rem mirari (*quid ais, quid facis,* talia), qui adverbio *qui* utitur, ei mirum videri, qua quid re vel quo quid modo fiat vel factum sit. Mihi vero liberiori, qualis est *qui* vocis, usui multo magis convenire liquet hanc originem, et longe aliud est *quippiam,* quod unum per se intellegi minus potest. Sed utut haec res se habet — et praeclaros habet utraque sententia defensores sonorum latinorum peritos — de interrogativa origine *qui* particulae nemo iam est qui dubitet et per se constare — *quippe*? — iam vetustiores grammatici viderunt[4]). Itaque seiungit *quippe* a ceteris vocibus saepe Lerche et recte is quidem, wie denn? wie anders? gewiss so: ut his locis, ubi relativae rationis amantes potius coniunctiones odorabuntur:

---

[1]) E Petronio adnotavi: te ipsum caede quia nugax es (52); vapulavi quia . . . 92, quae interrogative potuerant olim accipi.

[2]) Cfr O. Wichmann, De *qui* ablativo antiquo, Vratislav. 1875 p. 16 ss., O. Kienitz in Jahrb. f. klass. Philol. 1879 Suppl. X p. 540 ss., E. Melander, De verborum apud Plautum et Terentium ellipsis usu Lundae 1910, pag. 126—131. De *quidum? sic: quia* (foris ambulatis Most. 450) cfr Paratactica latina I p. 30.

[3]) De *quippe* particula 1910 (Breslauer philolog. Abh. XLI); cfr Th. Stangl in Wochenschr. f. klass. Philol. 1910 p. 1119.

[4]) Laur. Valla, Thom. Linacer, cfr Lerchei liber p. 2, C. O. Mueller, S. H. Anton, Studien zur latein. Gramm. u. Stil. 1873 II p. 81, qui solum per se esse enuntiatum docet.

Amph. 36. iusta autem ab iniustis petere insipientiast:
quippe(?) illi iniqui ius ignorant neque tenent.

inilli cod.

Truc. 1048. male fidem seruando illis quoque abrogant etiam fidem,
qui nil meriti, quippe eorum ex ingenio ingenium horum probant.

ex eorum P.

Poen. 553. nos tu ne curassis, scimus rem omnem, quippe omnes simul
didicimus tecum una . .

Merc. 380. [iam] non uereor ne illam me amare hic potuerit resciscere;
quippe haud etiam quicquam inepte feci, amantes ut solent

Haec fuerant se ipsum interrogantis. In colloquio eadem est interrogandi vel exclamandi nonnunquam ratio:

Epid. 333. ST. uae tibi, muricide homo! CH. qui tibi lubet mihi male loqui?
ST. quippe tu mi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis . .

latis cod.

Additur saepe ad *quippe* particulam novum *qui*, quali geminatione quoniam nihil in latino sermone est usitatius, de nova ego interrogatione vel potius exclamatione cogito, indefinitam et relativam rationem, primigeniam certe, respuo; *quippe qui* est fere: wie denn, wie anders?

Bacch. 369. pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, opsecro,
nam equidem haud aliter esse duco; quippe qui: nemo aduenit
nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet

370 *qui* cod. Fleckeisen, Lindsay, *quo* Lambinus, plerique.

Mil. 602. nam bene ⟨consultum⟩ consilium surripitur saepissume,
si minus cum cura aut cautela locus loquendi lectus est;
quippe qui: si resciuere . . .

qui Tyrrell, *hi* A, om. B.

Truc. 68. . . ea nimiast ratio; quippe qui: certo scio
fere plus scortorum esse iam quam ponderum.

quippini Schoell, *fere* Lindsay, *eri* cod. *ibi* Seyffert.

Aul. 348. horum tibi istic nil nueniet: quippe qui,
ubi quid subripias, nil est: sequere hac me.

subripiat codd. emend. Lambinus.

Rud. 384 . . . tamen subripiuntur; quippe qui: quem illorum opseruat falsus est.

Haec rursus se ipsum interrogantis. Alteri illud dicitur:

Ter. Heaut. 538. SY. eho quaeso laudas, qui eros fallunt. CH. in loco
ego uero laudo. SV. recte sane. CH. quippe qui
magnarum saepe id remedium aegritudinumst.[1])

Et eo qui sequitur loco alteri nova interrogatione[2]) respondetur:

Amph. 745. AM. an etiam id tu scis? AL. quippe qui ex te audiui,
ut urbem maxumam
expugnauisses regemque Pterelam tute occideris.

Alterum *qui* utrum adverbium an pronomen sit non certo scio, hoc fortasse mavult qui *quippe ego qui* legerit Pseud. 1274 et Epid. 367, quamquam Epid. 618 *quippe ego . . ego* per se ponitur. Et apud omnes scriptores *qui*, singulari praesertim forma, praevalere monet K. Lerche (p. 124): 45 locis, plurale 21, *cui* 9, *quae* sing. 10 et deinceps ex summo numero 109. Sitne igitur adverbium accipiendum eadem dubitatio mihi restat aliis locis Plauti ubi est *quippe qui* ut Amph. 22, Pers. 699[3]), Asin. 66, Men. 586. *Quippe* particulam excipit *quando* Capt. 886[3]).

Quam parum ad relativa accesserit apud Plautum *quippe,* si accessit omnino, apparet[4]). Iam apud Sallustium et Livium aliter rem se habere demonstravit K. Lerche; hic quod in prima decade multo saepius usus est *quippe* voce, nescio an ex antiquioribus fontibus repetendum sit. Et *quippini* prorsus paratacticum exstat id quidem interrogativum.

Quam, cuius etymon mihi certe non liquet, cum *quantum* maxime comparandum esse fere constat; quod mihi non prorsus certum est collato vel uno loco ubi vix quidquam ab *ut*[5]) differt, sicut saepius in *quisquam* vidimus:

Pers. 623. ut sapiens habet cor! quam dicit quod opust!

---

1) Alterum *qui* relativum (weil) existimat H. Lattmann Deutsche Litteraturz. 1910 p. 2790.

2) vide pag. 10.

3) Hoc loco H. Lattmann in Berl. phil. Woch, 1911 p. 493 nescio quo modo comparativam rationem adhibet „was als wäre“.

4) non *quom* (Rud. 979) neque *quippe ego quoi* (Epid. 618), quae ad alia enuntiata pertinere non animadvertit Lerche (p. 30 s.)

5) De *quam* cum *ut* comparando cfr E. Löfstedt Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität Uppsala 1907 p. 20 s. et Spätlateinische Studien, Skrifter utg. af K. Humanistiska Vet. i Uppsala XII, 4 p. 15 s. Petronius 40: vide quam porcus comederit glandem.

Contra pleonasmum parum caute statuunt hoc loco:

Stich. 570. ut apologum fecit quam fabre!

ubi ad ipsum verbum alterum refertur, alterum ad gradum peritiae.[1]) Et omnino, qualis nunc est particulae *quam* usus, *quantum* illud aequiperat. Interrogative vel exclamative dictum aut certe exortum plurimis vide locis:

Cas. 232. CLE. obsecro, sanun es? LY. sanus quam(!) ted amo.
CLE. nolo ames. LY. non potes impetrare. CLE. enecas.

292 *quom* Bothe, minime necessario, quamuis Plauto dignum.

Ter. Eun. 335. continuo adcurrit ad me, quam longe quidem(!) . .
Bacch. 545. MN. edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes.
Mil. 303. hic te opperiar: eadem illi insidias dabo,
quam mox(?) horsum ad stabulum iuuenix recipiat se ⟨a⟩ pabulo.
quid ego nunc faciam?

mox horsum emend. Camerarius *uxor* codd.

Amph. 354. ME. nescio quam tu familiaris sis:

quantum PE pro *quam tu.*

Mil. 576. ⟨SC⟩ dedit hic mihi uerba. quam(!) benigne gratiam
fecit, ne iratus esset. scio quam rem gerat . .

quo quidem loco et de *quamquam* possis cogitare et relative ad antecedentia referre *quam benigne*; sed paratactica etiam nunc est exclamatio. Prorsus similis hic est locus:

Mil. 871. nimis lepida forma ducit, di hercle hanc rem adiuuant;
quam digne ornata incedit, ⟨h⟩aud meretricie,
lepide hoc succedit sub manus negotium.

atiuuat cod.

Omissum esse *quam* saepe dicitur, ubi paratactice et exclamative potest explicari origo certe generis loquendi — indefinita explicatio hic „exclusissima" est, ut Plauti verbo utar —.

Men. 725. MA. quas fabulas? non, inquam, patiar praeterhac
quin uidua uiuam quam (?!) tuos mores perferam.[2])

---

[1]) W. M. Lindsay in Syntax of Plautus p. 106.

[2]) Ellipsin comparativae vocis inter alia sibi fingit R. Frobenius Syntax des Ennius, Nördlingen 1910 p. 100. Cfr. F. Guil. Holtze Syntaxis fragment. scaenic. poet. roman. etc. (opus posth.) Lipsiae 1882, p. 67, de posteriore usu cfr G. Landgraf in Archivo Woelffliniano 1896 IX p. 561.

Poen. 746. suspendant omnes nunciam se haruspices,
quam ego illis posthac quod loquantur creduam:

746 *sese* A.

Itidem vero explicandus est comparativus usus *quam* particulae, in initio praesertim versus magna vi positae:

Most. 229. PHILO. siquidem hercle ueudundumst, pater, uenibit multo potius,
quam(?!) te me uiuo umquam sinam egere aut mendicare.

Quocum comparandum est *potius* hoc qui sequitur loco positum:

Cist. 42. SEL. at satius fuerat eam uiro dare nuptum potius. LE. heia.

Cetera exempla, ubi adnotavi *potius*, haec sunt:

Ter. Heaut. 927 . . . ne quam aliam quaerat copiam ac te deserat.
GH. immo abeat potius malo quoiuis gentium,
quam(?!) hic per flagitium ad inopiam redigat patrem,

Aul. 11. inopemque optauit potius eum relinquere
quam(!) eum thensaurum commonstraret filio.

His iam locis ad hypotaxin vergit *quam:*

Aul. 50. STA. utinam me diui adaxint ad suspendium
potius quidem quam hoc pacto apud te seruiam.

Asin. 816. suspendam potius me, quam tacita haec tu auferas.

suspendam Bothe *suppendas* cod. *tacita tu haec* cod. traiecit Weise, *tu haec tac.* Kaempf.

Rud. 1042. fiat istuc potius quam (?!) nunc pugnem tecum.

istac Seyffert.

Similia illa sunt *satius, opportunius, malo:*

Cas. 111. CHA. tun illam ducas? hercle me suspendio
quam tu eius potior fias satiust mortuom.

111 *tu* P. 112 *satis est* A.

Pseud. 669. namque ipsa Opportunitas non potuit mihi opportunius
aduenire quam haec allatast mihi opportune epistula.

mihi Opp. non p. P. *cauata est* P.

Asin. 810. DI. sequere hac: egone haec patiar aut taceam? emori
me malim, quam haec non eius uxori indicem.

810 *haec ut* Fleckeisen.

Asin. 121. moriri sese misere mauolet,
quam non perfectum reddat quod promiserit.

magis uolet cod.

Bacch. 512. verum quam (cfr qui ? !) illa umquam de mea pecunia
ramenta fiat plumea propensior,
mendicum malim mendicando uincere.

plumbea codd. Nonii.

Priusquam particulae haec habes initia:

Cas. 448. certumst. hunc Acheruntem praemittam prius.
Amph. 240. animam omittunt prius quam (? !) loco demigrent.
Merc. 167. AC. placide: multa exquirere etiam prius uolo quam (? !) uapulem.
Bacch. 100. prius hic adero quam (!) te amare desinam.
Bacch. 382. nunc prius quam malum istoc addis, certumst iam dicam patri.
Capt. 831. . . aperite hasce ambas fores
prius quam pultando assulatim foribus exitium adfero.

assulatim ex Nonio; pro *adfero* Nonius *dabo* haud male.

Curb. 566. . . reddin an non uirginem
priusquam te huic meae machaerae obicis, mastigia?
Poen. 789. sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem
prius quam hinc optorto collo ad praetorem trahor.
Epid. 270. EP. em, nunc occasiost faciundi, prius quam in urbem aduen⟨er⟩it,
sicut cras hic aderit: hodie non uenerit. PE. qui scis? EP. scio.
quia mihi alius dixit, qui illinc uenit, mane hic adfore.

271 *aduenerit* Itali. 272 *uenit* Redslob, nonne *aderit?*

Ac ne in *postquam* quidem desunt *quam* primitus exclamativi vestigia:

Aul. 454. CONG. temperi, postquam (? !) impleuisti fusti fissorum caput.
Cas. 559. ueniat uelim
ut eum ludificem uicissim postquam (!) hunc delusi alterum.
Trin. 600. etsi odi hanc domum,
postquam (!) exturbauit hic nos [ex] nostris aedibus.

exturbat Koch.

Capt. 487. abeo ab illis, postquam (!) uideo me sic ludificarier:
Bacch. 530. MN. reddidi patri omne aurum. nunc ego illam me uelim
conuenire, postquam inanis sum, contemptricem meam.

meo omne Ritschl, *ergo nunc ego* Schoell, *ego* om. A.

Men. 233. nam quid modi futurum est illum quaerere!
hic annus sextus est postquam ei rei operam damus.
ei rei Gruterus, *ire hi* P.

Truc. 682. heus tu, iam postquam in urbem crebro commeo dicax sum factus.
commoues cod. *hic axsum factum* cod.

Asin. 62. DE. fateor eam esse inportunam atque incommodam.
LI. posterius istuc dicis quam credo tibi.
Cist. 176. post⟨quam⟩ ille uxori iusta fecit, ilico
huc commigrauit. duxit uxorem hic sibi . .
quam Itali iam suppleverunt.

Alia particula primitus interrogativa simili in sententia poni potest:

Truc. 412. nunc ut (!) praemisit nuntium mil[l]es mihi,
non multo post hic aderit.
haud Kellerhoff.

Amph. 733. neque meum pedem huc intuli etiam in aedis, ut (!) cum exercitu
hinc profectus sum ad Teloboas hostis eosque ut uicimus.

Quam primum et similia nunc sequuntur:

Asin. 449. quam mox mi operam das? LE. Ehem, optume: quam dudum tu aduenisti?
non hercle te prouideram: quaeso ne uitio uortas.
Truc. 847. ceterum uxorem quam primum (!) potest abduce ex aedibus.
Capt. 398. ⟨PHIL.⟩ meminero. HE. at quam primum (!) poteris: istuc in rem utriquest maxume.
pote Spengel, Lindsay.

Amph. 729. AM. ubi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier?
Amph. 203. principio ut illo aduenimus, ubi (!) primum terram tetigimus,
continuo Amphitruo . . .
Cist. 137. ubi mihi potestas primum euenit, ilico
feci eius ei quod me orauit copiam.
Poen. 1419. ubi primum potero, ilico [1].
Capt. 352. quam (?) citissume potest, tam hoc cedere ad factum uolo.
Capt. 900. HE. cura quam optume potes. ERG. bene ambula et redambula. —

[1]) De nova interrogatione respondentis cfr pag. 10.

Cum comparativo adiectivi gradu sic primitus videtur positum *quam:*

Epid. 179. neque sexta aerumna acerbior Herculi quam (!) illa mihi obiectast.

Most. 532. DA. scelestiorem ego annum argento faenori numquam ullum uidi, quam (!) hic mihi annus optigit.
533 *iud* PCD.

Truc. 635. quo pacto excludi[s] qua[m]eso potui planius
quam exclusus nunc sum? pulcre ludificor, sine.
excludi Studemund. *potui* Buecheler. *potius* cod.

Mil. 664. opusue leni? leniorem dices quam mutumst mare:
liquidiusculusque ero quam uentus est fauonius.
dicis cod.

Rursus alia est particula interrogativa, ubi *quam* exspectas:

Cas. 860. MY. nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta atque ut (!) haec est fabre facta ab nobis.

Tam—quam vocabulorum haec adnotavi exempla ubi velim animadvertas *quam magis:*

Most. 749. iam de istis rebus uoster quid sensit senex?
TR. nil quicquam. ⟨SI.⟩ [u]numquid increpitauit filium?
TP. tam liquidu[me]st quam liquida esse tempestas solet.
increpavit B.

Trin. 861. ⟨CH.⟩ quam magis specto, minus placet mihi haec hominis facies. [1])

Poen. 348. [MI.] quam magis aspecto, tam magis est nimbata et nugae merae.

Bacch. 1091. magis quam id reputo, tam magis uror, quae meus filius turbauit.
quae Camerarius, *quem* cod.

Merc. 122. quam restito, tam maxume res in periclo uortitur.
restito Bentley, *resisto* cod.

Capt. 316. quam tu filium tuom, tam pater me meus desiderat.
Trin. 541. oues scabrae suut, tam glabrae, em, quam (!) haec est manus.
Most. 559. tam facile uinces, quam pirum uolpes comest.
uincis PCD.

Rud. 238. AM. dic ubi's? PA. pol ego nunc in malis plurumis.
AM. socia sum nec minor pars meast quam tua.

---

[1]) De *quam magis* cfr P. Langen Beiträge etc. p. 289 s.

Brevior plerumque sententia quae *quam* inducitur est, quod ex maiore vi particulae explicandum videtur:

Truc. 452. nimio minus perhibemur malae quam sumus ingenio.
ego prime de me domo docta dic[it]o:
quantast cura in animo, quantum corde capio
dolorem, dolus ne occidat morte pueri.
Ter. Eun. 526. verum ea si uiuit, annos natast sedecim,
non maior: Thaïs, quam ego sum, maiusculast.
Pseud. 800. quin tu illo inimicos potius quam amicos uocas?

tu illos cod. *tuas* pro *uocas* A.; de hoc loco cfr M. Niemeyer in Berl. ph. W. XXIX 1909, p. 1626, ubi egregie E. Sickeri libros de Plauto recensendo commemorat, et tota de re F. Leo in Götting. gel. Anz. 1904 p. 358 s.

Cas. 456. OL. ecquid amas nunc me? LY. immo edepol me quam te minus.
Amph. 541. IV. faciam ita ut uis. ME. ex amoie hic admodum quam (!) saeuos est.
Capt. 421. suom erum seruos collaudauit. PHIL. pol istic me haud centesumam
partem laudat quam ipse meritust ut laudetur laudibus.
Cas. 243. LY. egon in lustra? CLE. scio plus quam tu me arbitrare.
Bacch. 255. . . . di quattuor. scelestiorem nullum inluxere alterum.
NI. quamne Archidemidem? CH. quam, inquam, Archidemidem.

Quamquam particula collatis quae de *quisquis* attulimus (pag. 58 s.) vix quidquam adferet difficultatis. Quam apte cum simplici *quam* exclamativo cohaerere vel hoc uno loco apparet, ubi *quamquam* scribi maluit Bergkius, cum illam ipsam vim primigeniam *quam* vocis non respexisset:

Bacch. 1152. SO. meum pensum ego lepide accurabo: quam (!) odiosumst mortem amplexari.
Cist. 106. quamquam (!) istuc mihi erit molestum triduom et damnum dabis, faciam.
Trin. 842. pol quamquam domi cupio opperiar.

domum P.

Trin. 259. quamquam illud est dulce, esse et bibere,
Amor amara dat tamen
Truc. 923. nam quamquam es bella, malo tu tuo . . .

est et *tuo tu* cod. *tuo's* Pareus.

Asin. 710. asta ut descendam nunciam in procliui, quamquam nequam es.
Pseud. 1049. atque edepol, quamquam nequam homo es, recte mones.

Quando cum *quam* cohaerere nescio an recte dicatur; qua ratione cohaereat, videndum est [1]). Quanta inter ea intercedat similitudo vel ex his elucet: *quando lubet, quando uis,* quae primitus nescio an ad gradum actionis relata sint, ut in *quam vellem.* Et hoc item fit in iis quae sequuntur exemplis primis, ubi vel *quantum* (!) possis reponere, in ceteris *quem ad modum* malis, exlamativam ubique sentias originem vocis *quam:*

Stich. 382. quando adbibero, adludiabo
Amph. 1097. quaeso apsoluite hinc me exemplo, quando satis deluseris.
Most. 403. neu quisquam responset, quando hasce aedes pultabit senex.
Trin. 616. ut agro euortat Lesbonicum, quando euortit aedibus.
Amph. 265. quando (quem ad modum!) imago est huius in me, certum est hominum eludere.
Asin. 301. nudus uinctus centum pondo's, quando pendes per pedes
. . . ad pedes quando adligatumst aequom centumpondium.
Rud. 755. postea aspicito meum, quando (quam) ego tuum inspectauero.

Ex *gradus* indicatione ad temporis vel causae significationem hoc potissimum, qui iam adferetur, loco transitus videtur fieri; quod eadem ratione fit in *ut* (!) particula: describitur vi quadam mentis actio verbi, qua attenuata relativa ratio restat.

Simillima haec sunt:

Ter. Ad. 287. quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.
Curc. 527. CA. quando bene gessi rem, uolo hic in fano supplicare.
Curc. 364. laudato quando illud quod cupis ecfecero,
Capt. 691. quando ego te exemplis excruciaro pessumis
atque ob sutelas tuas te morti misero
uel te interisse uel perisse praedicent . . (cfr Aul. 78).
Curc. 640. serua me, quando ego te seruaui sedulo.
Men. 1024. uerum quandoquidem ere te seruaui —
Capt. 300. . . nunc quando patriam et libertatem perdidi,
non . . . aequom censeo.

---

[1]) De *quando* cfr P. Scherer in Studemundi Studiis Berl. 1891 p. 85 s.

Et eiusdem modi sunt *quando dignust probe* Pers. 807, *quando mecum pariter potant* (Asin. 270) et illud:

Pers. 688. sine quaeso: quando (wie denn!) lenost, nil mirum facit.
Trin. 918. neque adeo edepol flocci facit, quando (wie denn!) egomet memini mihi.
Pseud. 646. at ego, quando eum esse censebo domi,

Ad relativa haec iam vergunt:

Men. 120. quando ego tibi ancillas penum
lanam aurum uestem purpuram
bene praebes neque quicquam eges
malo cauebis . . [1]).

Quandone posito augeri videtur insita huius particulae significatio et sensus quidam acrior, ut sit fere quandoque [2]), cuius rei exemplum adfertur:

Corp. Inscr. lat. VI (urb. Rom.) 1, 2120, 25 ut quandone ego esse desier<o> pariter cum eis ponar.

Quom particulae originem obscuram, cum *quam* certe comparandam etiamsi existimem, si tamen significationem eruam primigeniam, exclamativam nescio an iure censeam. Itaque idem illud *quam*, sive *ut* (!), sive *quantum* (!) malis, plurimis locis velim reponas, ubi tum temporis, tum causae vim tribuunt *quom* voci. Revocat autem interrogando vel exclamando audientium mentes ad actionem verbi et eam ita quodam modo describit, unde facile oritur temporis cogitatio, quae deinceps causae parit notionem. Sed exempla videamus prima, in quibus altera sententia verba sensuum continet aut similes notiones, interiectiones nonnumquam.

Rud. 1183. quom (ut!) te di amant uoluptati est mihi.
Cas. 417. CLE. uictus es, Chaline. LY. quom nos di iuuere, Olympio,
gaudeo. OL. pietate factumst mea atque maiorum me[or]um.

di iuuere Spengel ex *diu uiuere*.

---

[1]) De hoc loco et Men. 801 cfr W. Kroll in Rhein. Museum für Phil. NF 1908 LXIV p. 55.
[2]) C. F. W. Müller, Neue Jahrb. 1892 CXLV, 656 s.

Amph. 681. et quom [te] grauidam et quom te pulcre plenam aspicio, gaudeo.

te Pylades sustulit, *ascipio* cod.

Men. 1149. quom tu es liber, gaudeo, Messenio.
Capt. 146. alienus quom eius incommodum tam aegre feras,
quid me patrem facere par est . . .
Trin. 617. o ere Charmide⟨s⟩, quom apsenti [te] hic tua res distrahitur tibi,
utinam te redisse saluom uideam, ut inimicos tuos
ulciscar⟨e⟩ ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam.

617 *quam* Camerarius *salum* cod. *et mihi* Ritschl, G. et S.

Most. 395. PHILO. ei mihi, quom, istaec blanda dicta quo eueniant, madeo metu.

quam rursus Camerarius.

Men. 304. ei mihi,
quom nil est qui illi⟨c⟩ homini dimminuam caput.
Ter. Andr. 622. ei mihi,
quom non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut uolo!

Similia haec puto:

Trin. 900. mihi quoque edepol quom hic nugatur, contra nugari lubet.

nuguratur cod.

Poen. 208. AG. o multa tibi di dent bona,
quom hoc mihi optulisti tam lepidum spectaculum.
Amph. 641. sed hoc me beat
saltem, quom perduellis uicit et domum laudis compos reuenit.

quom Pareus, Lindsay, *quam* cod. Cfr Th. Stangl in Berl. ph. W. XXIX 1909, p. 1253 not. in recensendo libro F. Gaffiot Pour le vrai latin, in quo talia ex relativa nimirum origine repetuntur.

Asin. 515. uerum ego meas queror fortunas, quom illo quem amo prohibeor.
Most. 588. beatus uero es nunc quom clamas.
Stich. 146. nunc places quom recte monstras.

placet P.

Metuendi verbum in his est:

Asin. 111. profecto nemost quem iam dehinc metuam mihi,
nequid nocere possit, quom tu mihi tua
oratione omnem animum ostendisti tuom.
Psend. 1114. nunc ego illum metuo quom hic non adest.
Mil. 891. PE. ergo istuc metuo quo⟨m⟩ uenit uobis faciundum utrumque . .

In his si non *quam,* sed potius aliud interrogativum *quid!* substitueris particulae *quom,* et originem senties paratacticam et ad relativum (*quod*) transgressum:

Epid. 137. ego quod bene feci, male feci, quia amor mutauit locum.
feci bene B.

SER. desipiebam mentis, quom illa[s] scripta[s] mittebam tibi.
Amph. 753. SO. quaeso edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas,
Pseud. 931. SI. occidis me, quom istuc rogitas.

Magis haec ad hypotaxin vergunt:

Cas. 224. hanc ego de me coniecturam domi facio magis quam ex auditis;
qui quom amo Casinam, magis niteo . . .
quam cod. fortasse tamen retinendum et cum *magis* coniungendum, quamvis antecedente *magis quam.*

Asin. 80. praesertin quom is me dignum cui concrederet
habuit, me habere honorem eius ingenio decet.

In his maxime *ut* (!) exspectares:

Bacch. 481. nam alia memorare quae illum facere uidi dispudet:
quom manum sub uestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
me praesente neque pudere quicquam: quid uerbis opust? [1])
Bacch. 1192. egon quom haec cum illo accu[m]bet inspectem? BA. immo equidem pol tecum accumbam,
te amabo et te amplexabor.
Bacch. 166. edepol fecisti furtum in aetatem malum,
quam istaec flagitia me celauisti et patrem.

Neque dissimilis est in illis origo temporalis rationis:

Amph. 302. agite, pugni, iam diu est quom uentri uictum non datis.
quam Fleckeisen, *quod* cod. Tyrrell.

Merc. 541. nam illi quidem haud sane diust quom dentes exciderunt.
Bacch. 417. iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit.
q. e. ipsus se conicit Lindsay.

Ter. Hec. 543. at iam pol aderit se quoque etiam quom oderit.
Capt. 516. nunc illud est, quom me fuisse quam esse nimio mauelim:
. . . hic ille dies est quom nulla vitae meae salus sperabilest.
Poen. 924. sed ego nunc est quom me commoror.
moror P.

---

[1]) Descriptivi *quom* exempla adfert Ch. E. Bennett Syntax of early latin Boston 1910, I p. 79, Ennii R. Frobenius Syntax des E., Nördlingen, 1910 p. 103.

Ter. Eun. 551. nunc est profecto interfici quom perpeti me possum.
Poen. 723. uidistis leno quom aurum accepit? [1])
Bacch. 468. LY. periit tibi sodalis. MN. ne di sirint. LY. sic est ut loquor.
quin ego quom peribat uidi, non ex audito arguo.

Comparandum hoc est:

Poen. 557. non meminisse nos ratu's
quo modo trecentos Philippos Collybisco uilico dederis [2]).

Aliter res se habet hoc Terentii loco, ubi pro exclamativo *quam* alia ponitur particula re vera exclamandi vi praedita:

Ter. Hec. 297. uixque huc contuleram, em, noua res ortast [3]).

Quom maxume videtur mihi primitus fuisse: quo modo maxime! Sed videamus exempla:

Amph. 199. nam quom pugnabant maxume, ego tum fugiebam maxume.
Amph. 427. si tu Sosia's, legiones quom pugnabant maxume,
quid in tabernaclo fecisti? uictus sum, si dixeris.
Mil. 1153. nunc quom (quando nisi nunc!) maxume
opust dolis. PL. domi esse ad eam rem uideo siluai satis:
Aul. 178. praesagibat mi animus frustra me ire, quom exibam domo.

Cic. de div. I 65 *mi* om. *exirem.*

Simile est hoc loco *ut* (!) positum:

Bacch. 278. forte ut adsedi in stega,
dum circumspecto, atque ego lembum conspicor.

Plerumque ita ponuntur sentiendi verba (wie ich nun):

Trin. 404. quom considero,
meminisse uideor fieri. LE. quid factumst eo?
Bacch. 597. quom ego huius uerba interpretor, mihi cautiost [4]).
Amph. 447. sed quom cogito equidem certe idem sum qui semper fui.

---

[1]) Interrogativam vim hoc ipso loco *quom* particulae tribuit iam Georg Autenrieth Fleckeis. Jahrb. Supplem. VI p. 285 s., quem suis impugnat regulis E. Becker De syntaxi interrog. oblig. et c. p. 314.

[2]) De *quo modo* posteriore aetate temporali egit 1907 P. Geyer in Kritische Bemerkungen zu S. Silviae Peregrinatio ad sancta loca.

[3]) Cfr M. Schlossarek, Temporum et modorum syntaxis Terentiana, I, Vratislaviae 1908 p. 48 s.

[4]) Ellipsin nescio quam in huius modi exemplis vidit C. E. Bennet Syntax of early latin, p. 83.

Amph. 441. certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam
. . . nimis similist mei.

Men. 254. quom inspicis marsuppium,
uiaticati hercle admodum aestiue sumus.

aestiui A.

Capt. 1022. nunc demum in memoriam redeo quom mecum recogito,
nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me . .

recogito Gruterus, *cogito* cod. *audissem me* P *redisse me* A, de duplici huius loci forma recte Leo.

Amph. 416. SO. egomet mihi non credo, quom illaec autumare illum audio:
hic quidem certe quae illic sunt res gestae memorat memoriter.

Mil. 1324. PY. ne fle. PH. non queo,
quom te uideo.

corrupta verba restituerunt Lindemann et Seyffert.

Memorabilia haec sunt, eodem modo nata:

Truc. 704. quom hoc iam uolup est, tum illoc nimiae magnae mellinae mihi.

es cod. *illuc* Bach, *hoc* cod.

Amph. 828. nam quom de illo subditiuo Sosia mirumst nimis,
certe de istoc Amphitruone iam alterum mirumst

quom Mueller *que* cod.

Quocum conferas velim illud:

Most. 168. SC. quid tu te exornas, moribus lepides quom lepide tute's?

quia cod. Lindsay dubius.

Quom extemplo [1]) si quis spectet originem, forsitan ita verba inter servum et dominum diviserit: *quom* (i. e. quando? vel quam mox? quod Plautinum est): extemplo.

Paucissima *quoniam* exclamandi quadam vi positi exempla collegi:

Asin. 711. quid nunc, amabo? quoniam ut est lubitum delusistis
datisne argentum?

quoniam amabo cod. transposuit Leo, Lindsay.

Truc. 401. . . . iubet, quoniam iam decumus mensis aduentat prope (parturae)

Amph. 586. qui, quoniam erus quod imperauit neglexisti persequi
nunc uenis . . .

Trin. 989. CH . . abi hinc ab oculis! SY enim uero sero, quoniam aduenis

---

[1]) Hoc decies quater apud Plautum inveniri testatur E. Kellerhoff in Studemundi Studiis II Berl. 1891 p. 73.

Saepius dicitur, id quod de *quom* vidimus, *quoniam sentio, uideo;* fueruntne primitus: wie ich nun sehe, was sehe ich?

Etiam in *quoad* videtur esse vestigium exclamativae parataxeos primigeniae:

Men. 769. verumst modus tamen, quoad(!) pati uxorem oportet.
quo id B[2].

Quomque non esse encliticum, sed disiungi posse ab altera parte, Fr. Skutsch docuit[1]). Laxioris sententiae causam reperio equidem in primigenia parataxi interrogativa: wer und wann!

Bacch. 1087. NI. quiquomque ubi ⟨ubi⟩ sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac
stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
solus ego omnis longe antideo stultitia:
ubique B, Lindsay.

Bacch. 652. multipotens pectus: ubi quomque (wo und wann!) usus siet, pectore expromat suo.
ubi ⟨ei⟩ nescio cur coniecit Lindsay; *suo* om. PCD.

Bacch. 251. CH. ⟨h⟩eu, cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
istius hominis ubi fit quo⟨m⟩que mentio.
quomque Lambinus, *quaque* Lindsay.

Amph. 343. ME. seruosne an liber? SO. utquomque animo conlubitumst meo.
seruosne ⟨es⟩ plerique editores.

Pers. 210. PAE. quid male facio aut quoi male dico? SO. quoi pol quomque occasiost.
mali facio PCD.

Quom quam ut et quae iis simillima sunt apud Italos, quamquam vel antiquissimis temporibus relativa videntur fuisse, haud secus tamen quam cetera relativa aliquid ex primigenia vi exclamativa et interrogativa traxerunt, ni fallor, atque inde etiam mutuam quandam similitudinem, quoniam primitus non multum inter se distabant. Paulatim vero *quam* cum ad *quantum* vocis significationem accessisset, *quom* de tempore tantum dicebatur, *ut* et eandem

[1]) Neue Jahrb. suppl. XXVII 86.

ad rem adhibebatur et, cum *quo modo* exstitisset, in enuntiatis secundariis finalibus consecutivisque inducendis maxime versabatur. *Quin quippe quin* diutissime omnium ipsam interrogandi vim retinuerunt vel aperta eius vestigia praebuerunt.

Plurimis locis Plautinis plurimisque in generibus dicendi frequentissimis, quae iam relativa et habentur et sunt, vestigia adnotavi parataxeos primigeniae signaque apposui vel simpliciter interrogantium(?) vel exclamantium et mirantium(!) vel indignantium(?!); paucis etiam nunc locis paratacticam explicandi rationem admisi, partim ut nunc sunt, partim inverso enuntiatorum ordine, partim mutata paululum loci sententia, ut interrogativae rationis ad relativam transgressus appareret. Neque vereor ne totidem dubitandi signa adfigat sententiis meis qui loquentibus accuratius subauscultaverit aut ipsius Plauti locos, abruptis saepe exclamationibus abundantes, ipsos hominum sensus nativos nec logicis vinculis conexos, nedum ex grammatices regulis pendentes, penitus perspexerit atque ad vetustiora etiam quam Plauti latinae linguae tempora descenderit, infimas ut radices veri et quotidiani sermonis Italorum duras et amaras eruat, non Tullianis floribus fructibusque frui malit suavissimis et omnibus numeris absolutis. Atque etiam in ceteris *qui* radicis vocabulis relativis et indefinitis interrogativae originis vestigia deprehendisse mihi videor.

Multis autem locis — sicut ego antea feci in *ut* particula enucleanda atque in *quî* fieri videmus — maiorem quam fere solent *qui* pronomini attribui vim et pleniorem quandam significationem, ut exclamari videretur aut idem esse atque *qualis* vel *qui alius* vel *qui nisi is.* Quae quidem vis exclamativa ni fallor primigenia est [1]) et iam tum exstitit, cum voces illae *qui* radicis certam quandam induebant rationem; nam ad interrogationes nisi quasdam, nedum ad indefinita pronomina indicanda olim vix opus fuisse videtur pro-

[1]) Extrema iam his manus accededat, cum adfertur mihi liber Arminii Dittmari Syntaktische Grundfragen (Grimmae 1911), ubi inter alia quae nova excogitavit haud pauca graecis exemplis certo ordine et magna cura dispositis docet ὅς primitus fuisse exlamativum. Ac saepius mihi quoque relativos usus sanscritae avesticae graecae linguarum in Delbrueckii syntaxi comparativa recensenti inciderunt exclamativi generis plurima, sicut quae III p. 296 s., 305, 322 *(quid!)* s. describuntur, quibus qui utuntur deorum heroumque facta et potentiam exclamando videntur admirari.

priis vocabulis, maiore vel minore intentione vocis ea potius exprimebantur. In exclamatione autem quoniam fortiore sono pronuntiabantur *qui* pronomina, facilius plura pariebant loquendi genera, relativa quoque, et magis varia, ad quotidianae vitae usus accommodanda. Itaque apud Plautum corroborato iam relativo usu nova eius genera adiuvante interrogativa vel exclamativa ratione primigenia nascentia videmus, aut tentari certe, quod praecipue in anacoluthis et attractionibus casuum fiebat.

In notione indefinita contrarium videbatur fieri: ipsum *quis* indefinitum paulatim evanescebat et, ut iam dixi, novis demum surculis, *aliquis* et ceteris eius modi, reviviscebat, ex quibus tamen nulla fere denuo nascebantur relativa. Ac si dicas interrogativa et indefinita, cum eo tantum differrent, quod accentu illa praedita essent, haec carerent, aequabili usu oportuisse florere, ne hoc quidem prorsus negaverim; immo quia hoc in libello non id egi, ut indefinitas origines relativi pronominis indagarem, quantumvis earum in aridissimo quoque loquendi genere inveneris, non repugno — quamquam haud scio an plus ita fingas indefiniti generis quam in latino sermone usquam cogitari possit —, verum hoc dico relativae rationis et principem originem et propagationem multam variamque non esse quaerendam nisi in interrogatione et exclamatione. Quodsi tamquam gemelli erant eiusdem radicis surculi, alter interrogativus, alter indefinitivus, multo ille fortior evasit ad maiora natus et sua mirum quantum extendit, hic suis finibus adstrictus ne ea quidem quae quasi heredidate relicta possidebat per se ipse poterat retinere. Sed utut initia totius rei spectamus — atque nova in re quasdam tamquam vites decidere par est — hoc est minime negandum exclamativae et interrogativae origini paratacticae in relativo usu latino plus quam creditum est vel exemplis allatis demonstratum tribui oportere.

Adde! Pag. 2, lin. 12 infr. Ita in duodecim tabularum fragmentis nullo loco qui certus possit haberi (cfr VI 5 et VIII 1) ponitur *si quis*, verum *si* solum (I 1 *si vocat*, 2 *si calvitur pedemve struit*, III 4 *si volet*, 6 *si . . . secuerunt*, 7 *si furiosus est*, VIII 2, 3, 4, 12, 16, XII 3) saepe ni fallor in initio, aut *qui* vel *quis*. Posterius nescio an exstiterint *suae pis* et similia.

Pag. 6. V 3 uti legassit. VIII 1 (si quis?) qui . . . incantassit quod infamiam faceret; 8 qui fruges excantassit; XII 5(?).


3 0112 072348565

Eiusdem auctoris sunt

(vendit Akademiska bokhandeln Helsingfors Finland)

De vocum in poematis graecis consonantia 1879. (Act. Soc. scient. Fenn. tom. XI).
De dativo latino 1904. 75 pag. 4:o, progr. acad.
De gerundiis et gerundivis latinis 1905. — De gerundiis iterum (Ex Erano suec. V, VI).
De *ut* particula. (Nord. tidskr. for filologi III).
Paratactica latina I 1909 (79 p. 4:o), II 1910 (43 p. 4:o), III 1911, progr. acad.
Étymologies latines (Bullet. d. la Soc. d. linguist. Paris L).
Om Runebergs verskonst 1891. — Om ordställningen hos Runeberg, 1903. — Om möjligheten af ett universalspråk 1902, et cet.
De Ciceronis primo de finibus bonorum et malorum libro quaestiones, 1878, 89 pag.
De Apollinari Sidonio emendando, 1882, 123 pag.
Excerpta Institutionum Iustiniani, suethice explicata, edit. II, 1910, 101 pag.
Fragmenta Veteris Testamenti in latin. conv. e palimpsesto Vatic. eruta. — De codicibus Boetii de instit. arithmet. libr. Bernensibus. (Act. Soc. scient. Fenn. tom. XII).
De Livii libro XXI emendando, 1890.
Moysi Expositio. (Act. Soc. scient. Fenn. tom. XXII).
Romersk inskriftspoesi 1899, 42 pag. — Statii poetiska skizzer 1899, 42 pag. — Horatii bref om skaldekonsten 1901, 56 pag. Adiectae sunt adnotationes criticae. — Tacitus som häfdatecknare, 1905, 76 p. — Tacitus som tänkare, 1905, 40 p. — Senecas bref I, 1907, 47 p. omnia in quarto, progr. acad.
De parricidio (Mélanges Boissier). — De Statii Achill. cod. Monacensi (Festschrift Vahlen). — Claudianea, Mus. Rhen. 1878. — Handschriftl. Mitteil. zu Ciceros De finib. bon. et mal., Herm. 1880. — Ad Cicer. Tuscul. disp., Herm. 1882. — Ad Porphyr. in Horat. serm. comment., Nord. tidskr. f. filol. 1883. — Friedrich Ritschl †. — Den romerska filologins uppgift. — Theodor Mommsen † — et cet.
